

N.º K 102

CAROLI SEBASTIANI BERARDI

PRESBYTERI UNELIENSIS,

DE REBUS AD CANONUM SCIENTIAM PERTINENTIBUS

CONSULTORIS REGII,

ET IN TAURINENSI ATHENÆO

DECRETALIUM PROFESSORIS

COMMENTARIA

IN JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM.

TOMUS QUARTUS.

EDITIO TERTIA



CÆTERIS ANTEHAC LONGE CORRECTIOR OPERA, ET STUDIO D. PETRI DEL CAMPO ET LAGO, PHILOSOPH., AC SACR. THEOLOG. EX-PROFESS. NUNC HUMANIOR. LITERAR. MODERAT., NECNON REG. LATIN. MATRIT. ACADEM. SOC.

*Es de Fernando Bustillo y Sanchez.  
Valladolid y fe. 25 de 1828. Paso al dominio de  
D. Luis de la Cuesta. Valladolid. 29. de Feb. de 1828.*

SUPERIORUM FERMISSU.

MATRITI: MDCCCIII. EX TYPOGRAPHIA RAYMUNDI RUIZ.

Se hallará en la Librería de la Viuda de D. Bernardo Alberá, é hijos.  
Carrera de San Gerónimo.



24596

IN QUINTUM  
DECRETALIUM GREGORII IX. LIBRUM  
COMMENTARIA

**Q**Uanto dulcius, atque jucundius detinuit me in prioribus suarum Decretalium libris Gregorius IX., tanto asperior, & tristior ad interpretationem Libri quinti videtur in præsentia juxta ordinem suscipienda tractatio, quæ terribilem juris Ecclesiastici partem continet, dum in atrocioribus criminibus recensendis, & severioribus pœnis in reos eorumdem infligendis versatur. Quamquam enim in hac re non exuat Ecclesia erga homines scelerum conscios maternam, ita dixerim, pietatem; quando vel in ipsis inferendis pœnis clementiam sequitur Dei Optimi Maximi, qui non mortem vult, sed vitam, conversionemque peccantium, quemadmodum Sacræ Literæ passim docent; nihilo tamen minus non severitatem, gravitatemque deponit, sed istam tantum misericordia mitigat, ne facilitas ipsa in divinorum mandatorum contemptionem, atque in salutis æternæ periculum torqueatur. Hæc illa est ingenita, & summa Ecclesiæ majestas nunquam a benignitate sejuncta, qua divina Sponsa egregie decoratur, & Christi Redemptoris, cui miris modis juncta est, jure, ac potestate sibi veluti mutuata, personam, ac dignitatem per suos Antistites, & majores sacrorum Administros exercet, hinc lenis, illinc terribilis, hinc bona spe fideles erigens, illinc metum acerbissimarum pœnarum incutiens, ne aut clementia sine justitia contemnatur, aut justitia sine clementia humanam premat infirmitatem, ac frangat. Aureæ sunt in hanc rem Gregorii Magni sententiæ in libris Moralium. Sic lego imprimis in can. 9. dist. 45. *Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet, & juste consolans misericordia, & pie sæviens disciplina.... Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.... Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non im-*

*moderate sæviens; sit pietas, sed non plus, quam expediat, parcens & c.* Sic insuper lego in canone 14. ejusdem distinctionis: *Sunt namque nonnulli ita districti, ut omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant; & sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis. Unde cunctis Rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus mansuetudine districtionem deserant disciplinæ; quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Proficiscantur hæc ex natura Ecclesiastici regiminis; quod si compares cum regimine Magistratum publicorum, facile intelliges, quare publici Magistratus reos graviorum scelerum jure, ac merito puniat eosque, ut eosdem in interitum aliquando adducant, ac perdant; Ecclesia vero etiam ubi asperiores quasdam potestati suæ congruentes pœnas inferendas devenerit, jure, ac merito paratam se ad miserendum semper, parcendumque demonstret. Curant Magistratus publici tranquillitatem societatis, ac reipublicæ salutem, atque incolumitatem, ad quam unam universa vota sua, & officia dirigunt. Cum autem illa non nisi incommode, & cum gravi perturbatione patiatur, reos graviorum flagitiorum aut libere in civitate manere, aut etiam vivere, nihil est, quod sollicitos faciat Magistratus de reis eisdem servandis. Ecclesia e converso non tam societatem fidelium regit, quam singulas fidelium animas, quas ad aliam, nimirum ad æternam, & lætissimam Beatorum cœlestem societatem, præparat; immo & qua in parte terrenam hanc fidelium societatem regit, agnoscit istam veluti partem Ecclesiæ Christianæ nondum expurgatam, in qua juxta phrasim Evangelicam cum tritico zizania succrescit; zizania, inquam, non statim eradicanda, ne eradicetur simul & triticum, in diem messis differendo separationem. Quid igitur mirum, si Ecclesia aut malos toleret, aut cum malis mitius agat, de quibus spem adhuc concipit, futurum forte, ut in bonam frugem adducantur? Itaque Ecclesia & judicis æque, & matris agit partes; judicis ad terrendum, matris ad miserandum, ut matris officium fovere in sinu pergat, quos solum officium judicis foret perditurum, & judicis officium con-

cutere non desinat, quos materna pietas forte molliores efficeret. Non possum ego continere in hac parte laudandis quorundam canonum conditoribus, qui cum leniores quasdam pœnas in reos criminum decernerent, pœnis eisdem, quæ potius erant suaves Pœnitentiæ, terrificæ nomina indiderunt, qualia publicis in legibus ad significandas capitales, vel capitalibus proximas pœnas usurpantur, veluti deportationis, exilii, carceris; & verberum, can. 9. dist. 35., can. 7. caus. 2. quæst. 1., can. 13. caus. 17. quæst. 4., can. 10., & 13. caus. 26. quæst. 5., cap 35. de sent. excomm., cap. 27. in fine de verb. signific., cap 1. de calumniator, & alibi pluries. Quæ enim pœnæ his nominibus designantur, longe diversæ sunt ab iis, quæ proprie eisdem nominibus designarentur, neque longe sunt a salubribus pœnitentiis ad expiationem indictis remotæ. Verberibus castigari consuevisse in Ecclesia reos aliquos pœnitentes, præsertim si juniores essent, docet Augustinus in can. 1. caus. 23. quæst 5.. Ibidem autem Sanctus Vir ait: *Vocatur quidem & ista damnatio, sed quis non intelligat, magis beneficium, quam supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur?* Immo & subjicit, modum istum coercionis & a parentibus erga liberos, & a magistris erga discipulos adhiberi. Quod si aliter intelligeres Gregorii Magni sententiam in dicto can. 10. caus. 26. quæst. 5., aut similes, invenires statim contradicentem Gregorium ipsum Magnum in can. 1. dist. 45., & quotquot Patres Ecclesiastici in eadem distinctione a Gratiano commemorantur. Deportatione, exilio, carcere plures etiam a viris ecclesiasticis damnatos cum legimus apud veteres, iis omnibus intelligimus, aut peregrinationes pœnitentiæ causa suscipiendas ad loca quædam sacra, & templa honorabilioris famæ, aut ejectionis de gradu Clericorum vel in alium inferiorem clericalis ordinis gradum, vel etiam in laicam communionem, sive ejectionis de gradu communi fidelium in ordines pœnitentium, aut missiones in Monasteria, vel Collegia Clericorum, quibus qui pœnitentiæ causa adscriberentur, vigiliis, orationibus, jejuniis, solitudine, & alienatione a sæcularibus negotiis, & maculas contractas scelerum ex imo delerent, & Deum facilius sibi placarent. Et revera antequam Clerici communem vitam inivissent, Monasteria designari solebant tamquam loca Clericorum pœnitentiæ aptiora. Inita communi vita inter Clericos, certa loca se-

creta erant in Clericorum cœtu, ac domicilio, austerioris ineundæ vitæ, ac pœnitentiæ gratia, in quæ superiorum consilio, & auctoritate rei Clerici se reciperent, can. 8. dist. 81.. En causam, quare in can. 7. caus. 2. quæst. 1. depositio Clericorum, & exilium dicantur pœnæ non longe dissitæ, legeres etiam in Gratiani codice junctum ibidem nomen *deportationis*, si Romanorum Correctorum industria deletum non fuisset. En causam, quare in can. 13. caus. 26. quæst. 5. depositio, & exilium perpetuum promiscue sumantur. En causam, quare inter Aquisgranensia præscripta Regulæ Canonorum editæ anno 816. cap. 134. ita legitur: *Si uterque, qui flagellatur, & quem flagellari ætas, aut qualitas personæ prohibent* (confirmant hæc, quæ modo tradebant ex Augustino de pœnitentia flagellorum Clericis junioribus illata) *adhuc incorrigibiles extiterint, sit locus intra claustra Canonorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur.* Sæculo 12. viguit alicubi, ut in civitatibus construerent domicilia ad correctionem pœnitentium, uti constat ex canone 50. Concilii Stragonensis anni 1114. ibi: *Episcopi in unaquaque civitate duas domos ad coercendos pœnitentes faciant.* Hoc eodem in sensu ita scribebat Anastasius in Stephanum IV. *Sergius vero in Monasterium D. Scauri deportatus, &c., & Platina in Christophoro: In Monasteria, tanquam in insulas, Clerici male de Ecclesia Dei meriti tum relegabantur.* Atque ita intelligendus est canon 2. de pœnit. dist. 6., canon 9. caus. 30. quæst. 1., capitulum 6. §. ult. de homicid., capitulum 35. de sent. excomm. cum similibus. Cæterum generalis est sententia, quam Ecclesiæ nomine protulit Gregorius II. in epist. 2. ad Leonem Isauricum, ubi Imperatorem alloquens ita diversos coercendi modos & publicæ, & Ecclesiasticæ potestatis exponit: *Vides Imperator Pontificum, & Imperatorum discrimen? Si quisquam te offenderit, domum ejus publicas, & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis suis amandas. Pontifices non ita: sed uti peccavit quis, & confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco, Evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt in Ecclesiæ diaconia, & in cate-*

*cbumata ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigi-  
lias, & laudationem ori ejus inducunt.* Quæ cum ita sint, ex ip-  
sa rei, quæ agenda suscipitur, natura criminum, & reorum tracta-  
tio non adeo aspera existit. Quod si non æque jucunda, &  
amœna, uti cæteræ tractationes, sentiatur, in meam suscipio solli-  
citudinem, ea ratione a methodo ipsam digerere, qua elegan-  
tior quoad fieri possit, cultiorque reddatur; neque enim id  
oneris gravate suscipio, dum una & operam meam in lucu-  
brationibus meis perpetuo æquabilem facio, & molestiam, qua  
aspersa esse potest oratio, curo ut levem. Quod ut ex voto  
eveniat, abstineo imprimis ab iis omnibus exhibendis, quæ  
sunt civili etiam disciplinæ communia, nisi in quibusdam da-  
re veniam oporteat necessitati, & arctissimæ conjunctioni causarum.  
Deinde satagam, ut quidquid elegans est in ecclesiastica delictorum,  
& pœnarum historia, cultiore quadam oratione, si quid ego valeo,  
proponatur. Denique ne informis, & aspera tractatio videatur,  
a Collectoris Decretalium methodo recedam, ejus loco planio-  
rem, & magis perspicuum de more meo ordinem agendorum  
instituum. Duas partes habebit tractatio, in quarum priore de  
criminibus, posteriore de modis, quibus rei criminum coer-  
centur, agetur, variis dissertationibus utraque divisa, istis  
etiam fere singulis in sua capita distributis, ad quæ fere uni-  
versi, nimirum utiliores, Decretalium tituli exigantur. Quin-  
que Dissertationibus pars prior constabit. In prima, quæ erit  
fere proœmii loco, agam de criminibus generatim. Secunda  
explicavit crimina directo adversus Deum admissa. In tertia  
expendentur graviora delicta, quibus injuria in res Deo Sacras  
infertur. Quarta exhibebit crimina, quæ propria sunt, & sin-  
gularia Clericorum. In quinta observabuntur crimina, quæ  
sunt unicuique sive in clero, sive extra clerum constituto  
communia. Quatuor Dissertationibus pars posterior constabit.  
Prima generalia præcepta tradet de modis, quibus Ecclesia uti-  
tur in reis criminum coercendis. In secunda agam de reis per  
pœnitentias expiandis. In tertia de reis per censuras coercen-  
dis. In postrema de reis per pœnas puniendis. Si forte in  
mea hæc Commentaria inciderent improbi homines, quos non  
pigeret in eisdem paulisper meditari, futurum forte sperarem,  
ut ex sedula rerum propositarum consideratione cum antea-  
tæ pœniteret vitæ, tum etiam in posterum a gravioribus sal-  
tem ejusmodi flagitiis temperarent. Sed tanta non est apud

me fiducia de perditis hominibus, quibus alia placent otia, hæc molestiam ingerunt, ac fastidium. Vos vero studiosi Lectores, eum fructum, ut auspikor, percipietis, ut lætemini, imprimis, ab omni vos impietate, ab omni scelere sano consilio declinavisse; deinde impietatem ipsam, scelera universa magis, magisque abominari, detestari, horrere pergatis.

# PARS PRIMA

## DE CRIMINIBUS.

### DISSERTATIO PRIMA

#### DE CRIMINIBUS GENERATIM.

##### CAPUT I.

*Quid sit crimen.*



*Ecerunt Civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui: Paucis ita in*

libro 14. de Civitate Dei cap. 28. delictorum omnium originem, causas, & naturam ipsam expressit Augustinus, philosophica sane ratione. Siquidem Philosophi, meo iudicio, saniores totum naturæ jus, immo & universa jura, quæ ad naturale adjecta sunt, in recta amoris ordinatione constituerunt, qua fiat, ut primum, & præ cæteris diligamus Deum, infra hanc dilectionem locum demus reliquis amoribus, in societatem primum, deinde in nosmetipsos, denique in singulos naturæ nostræ consortes pro modo universorum. Hinc civitatem cœlestem, & sanctam eam dixit, quæ coaleret ex hominibus, qui divini amoris ardore concitati sollicitudinem sui non nisi inferiore loco haberent, in quo consistit rectus ordo amandi; civitatem autem terrenam, & labe confectam appellavit, quæ coaleret ex hominibus, qui nimium sibi indulgentes Deum temnerent, in quo amoris ordo turbatur, atque pervertitur. Nimis forte subtilius alicui videbitur hæc observatio, juxta quam peccatum definiretur amor quicumque inordinatus; quare clarius iterum cum Augustino in libr. 22. contra Faustum cap. 27.

Tom. IV.

dicam, peccatum esse factum, dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei: cui consonans Ambrosius in libro de Paradiso cap. 8. ait: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum?* Clarius adhuc juvat Augustini mentem attingere, cum legem æternam Dei nominavit, ex quo etiam intelligatur Ambrosius, cum legem divinam dixit, & cœlestia præcepta. Eo in loco Augustinus legis æternæ nomine fassus est, intellexisse se *rationem divinam, vel voluntatem Dei, ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem.* Hinc est, quod divinæ legis nomine non ea tantum veniat, quæ divino oraculo perspicuo revelata fuerit, id est, aut scripto, aut tradito verbo Dei, sed etiam quam aut naturalis ratio a Creatore Deo honesti sane, & inhonesti præceptis imbuta suadet, aut homines potestate legitima præditi ad publicæ seu sacræ, seu civilis societatis emolumentum proponunt; non enim est potestas, nisi a Deo, ut ait Paulus in cap. 3. epistolæ ad Romanos, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, can. 45. caus. 23. quæst. 4., can. 27., & 29. caus. 23. quæst. 5..

Generalia hæc sunt, & omni delictorum etiam leviorum generi accommodata. Verum agnoscendo initio est varia delictorum ratio. Omnia quidem de-

B



licta utpote adversus Deum admissa, Deum eundem vindicem sunt habitura, quousque legitimis modis non expientur; proindeque delicta omnia subjacent Ecclesiæ clavibus in foro, ut ajunt, interno, sive pœnitentiali, quo vere pœnitentibus absolutio datur, & coram Deo indicitur operum satisfactio, quoties necdum satisfactum sit, non tamen generaliter de peccatis omnibus sumitur in foro externo publica hominum Dei ministrorum auctoritate vindicta, sed tantum de gravioribus nonnullis, & quidem indictis modo asperioribus, modo lenioribus pœnis pro admissi qualitate. De posteriore hoc delictorum genere tantum agere, mei est instituti; sive de delictis illis, quæ in externo foro puniuntur, & quæ proprie criminum nomine veniunt. Distinctionem istam aperte tradidit Isidorus Hispalensis ita scribens in libro 2. sententiarum cap. 18. *Multi vitam sine crimine habere possunt, sine peccato non possunt... Joanne Apostolo attestante, qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* & Synodus Romana anni 1074. can. 15., dum ex Apostolica doctrina voluit ad Clerum admittendos esse, qui sine crimine essent, licet non sine peccato, quoniam crimen est *peccatum grave, accusatione, & damnatione dignissimum;* quod & perspicue docuit Augustinus in can. 1. dist. 81.. Itaque in proposito nostro crimen esse dicemus, non quodcumque peccatum, id est, non quodcumque aut admissum adversus legum vetita, aut prætermisum adversus legum præcepta, sed illud aut admissum adversus legum vetita, aut prætermisum adversus legum præcepta, quod pœna sequitur ab Judice inter homines indicenda, adeo ut legitima pœnæ indictio crimen a peccato distinguat. Observandum tamen est, nihil in hac re interesse, an pœna lege specialiter definiatur, an prudentiæ, & æquitati Judicis definienda mandetur; semper enim pœna dicitur legitima, quam

ex præscripto legis Judex infligit, utut modus, & quantitas pœnæ plurimum pendere ex ejusdem Judicis arbitrio videatur.

Itaque crimen proprie dicitur, contra quod pœna decernitur. Sed in hac positione cæteroqui perspicua, & plana nonnullæ instituendæ sunt observationes, quibus palam etiam fiat, qualia sint delicta, contra quæ pœna statuenda fuerit, & qualia sine pœna relinquenda. Id clarius demonstraretur exemplis, quam generalibus regulis, immo & demonstrabitur in integra tractatione. Cæterum juvet initio generalia quædam præcepta stabilire, quæ cum norma esse consueverint Legumlatoribus, esse præterea possunt Interpretibus legum, veluti lumen ad intimum legum spiritum adsequendum. Sunt ista, ut nemo non videt, utrique juri communia: quamobrem opportunum est, suscipere animo ad placita prudentum virorum, siye illi sint civilis sapientiæ, siye disciplinæ ecclesiasticæ præceptores; quorum sententias ubi contulerimus, agnoscemus mutuo consonare; tantum apud viros ecclesiasticos quædam singularia inveniemus, quia isti, dum regulas traderent, multa, quæ ad forum internum pertinent, cum iis, quæ ad forum externum attinent, con-gesserunt, uti congerere debuerunt illi, qui utriusque fori regimen nacti sunt. Porro utrique generaliter constituerunt, tum esse reos pœnis coercendos, quum tale foret admissum, quod societatem, remve publicam turbaret; interea tamen in hoc explicando, non quidem contrarias, sed paulo diversas regulas proposuerunt, quasi incedentes per diversas semitas, ad unam eandemque metam, ac finem collinearent.

Civilis sapientiæ, seu philosophiæ dogmata explicavit Aulus Gellius in libr. 6. Noctium Atticarum cap. 14., ubi ait, tres esse causas quibus existimatum est, certa delicta puniri. Prima est, quum pœna adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat, correctiorque: Al-

cera est animadvertendi causa, cum dignitas, auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat, & honorem levet: Tertia ratio vindicandi est, quum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri a similibus delictis, quæ prohiberi publice interest, metu cognitæ poenæ deterreantur; idcirco veteres *exempla* pro maximis, gravissimisque poenis dicebant. Quando igitur, aut spes magna est, ut is, qui peccavit, citra poenam ipse sese ultro corrigat; aut spes contra nulla est, emendari eum posse, & corrigi; aut jacturam dignitatis, in quam peccatum fuit, metui non necessum est; aut non id peccatum est, cujus exemplo necessario metu succurrendum sit, tum quidquid ita delictum est, non sane dignum esse imponendæ poenæ studium visum est. Hucusque Gellius, qui & philosophos, præcipue Taurum, & Platonem, ita disseruisse commemorat. Hinc primo infertur, etiam attentæ Jureconsultorum philosophia, multa esse delicta, quæ uti talia in foro non attenduntur, id est, quæ non puniuntur, quo pertinet sententia Pauli in l. 144. ff. de reg. juris: *Non omne, quod licet, honestum est*, quasi dicatur: multa sunt, quæ licent, id est, quæ non puniuntur, quæ tamen non sunt honesta. Hujusmodi sunt delicta leviora, quæ rempublicam aut nihil, aut parum turbant; neque enim congruit, ob res minimas rempublicam inquietari, argumento l. 4. ff. de integr. rest.. Hinc Jureconsulti actionem de dolo denegaverunt, ubi de re modica ageretur, id est, quæ duobus aureis minor esset, l. 9. in fine, l. 10., & 11. principio ff. de dolo malo. Hujusmodi etiam sunt illa delicta, quæ humanitati quidem, & benignitati repugnant, non tamen justitiam lædunt, a quibus si quis absteineat, laudandus est, quæque si admittat, non damnatur, ut in specie l. 1. §. 3. ff. de peric. & comm. rei vend. Hujusmodi quoque sunt illi actus, de quorum pravitate satis non constat, & gra-

vis difficultas esset in sumenda cognitione, veluti si quis citra metum, aut dolum curaret testamentum sui gratia condi, juxta l. ult. ff. si quis aliquem testari, & l. 3. cod. eod. tit.. Secundo infertur, non omnia delicta gravia, & quæ rempublicam turbant, legibus puniri; sed tum demum, cum aut corrigendi sunt rei, & emendandi, aut vindicanda publica auctoritas, aut poenarum exemplo cæteri terrendi, juxta doctrinam Gellii modo laudatam. Hinc scimus, gravissimum assentationis crimen fere non puniri, quia hæ puniendi causæ deficiunt: dixi *fere*, ut exciperem speciem legis 1. cod. de statuis, & imaginib., in qua publica Principum auctoritas violata prohibetur. Scimus insuper, in solam delictorum cogitationem, sive propositum poenam non inferri, l. 18. ff. de poenis, quia sola cogitatio necdum manifesta in eas causas non incidit, præterquamquod difficilis esset probationis. Scimus denique, sæpe non puniri in Republica luxum, utut sæpe perniciosum, quia eadem desunt puniendi causæ. Hinc Tiberius apud Tacitum libr. 3. annalium c. 53. quum de luxu urbis tollendo consilia agitantur, agebat: *Suasurus fuerim, omittere potius prævalida, & adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus*. Dum hæc Philosophorum & Jureconsultorum placita ipse considero, video, ab illis ecclesiasticos Patres minime recessisse. Invexerunt ipsi triplex coercendorum reorum genus, id est, poenitentias, censuras, & poenas. Poenitentiarum finis est emendatio reorum. En primam puniendi delicti causam a Gellio commemoratam. Censurarum finis est animadversio in contumaces, qui ecclesiasticam temnunt auctoritatem. En secundam puniendi causam apud Gellium. Poenarum finis est terror incutendus in universos, quo omnes exemplo damnati rei a flagitiis temperent. Quis & in hoc non agnoscit tertiam puniendi causam a Gellio demonstratam? Hinc non semper Patres ecclesiastici poenam

inferendam voluerunt, uti scribit Ambrosius in can. 26. caus. 23. quæst. 4., quoties nimirum eæ causæ deficerent, ac præsertim cum per se leviora peccata sunt, neque adeo Christianam rempublicam turbant, ut sint necessario punienda; qua in specie dum homo in hominem infirmitatis consortem miserationem congruam exhibet, universi invicem ex divina clementia indulgeri sibi veniam optant, demisseque precantur. Hinc insuper a pœnis inferendis abstinuerunt, quum delicta, utut per se, & ratione objecti, uti loquuntur scholæ, gravissima, non tamen a delinquente absoluta omnino fuerint, & consummata, can. 2., & 3. dist. 60.. Ad rem Balsamon, & Zonaras ad canonem 4. Concilii Neocæsariensis ita scribunt: *In peccatis quatuor esse gradus, dicunt Sancti Patres, impressionem, seu primum motum, luctationem, assensionem, & actum; quorum duo quidem prima non esse pœnæ obnoxia, in duo autem, quæ sequuntur, pœnam cadere.* Equidem fateor, hoc in loco paulo variam esse disciplinam Antistitum Ecclesiæ a disciplina Jureconsultorum; quando sola assensio necdum executioni mandata ab Ecclesia puniri potest, quæ apud Jureconsultos pœna immunis existimatur. Sed heic agnoscenda singularis Ecclesiæ ratio, quæ in hac specie potius in foro interno, & pœnitentia punire dicitur, non in externo, in quo easdem cum Jureconsultis regulas sequitur.

Addi solet alia causa non infligendæ in facinerosos homines pœnæ, quando nimirum magna est delinquentium multitudo, & majus Reipublicæ detrimentum pœna in omnes inferenda, quam pœnæ ejusdem remissio adferret, can. 25. dist. 50., can. 14. caus. 1. quæst. 7., can. 5. caus. 9. quæst. 1., can. 24., & 32.

caus. 23. quæst. 4. juncto cap. 1. de Paroch.. Sed ego imprimis observo, in his monumentis non generalem regulam constitui, sed potius contrariam generalem regulam æquitate, ac prudentia ex utilitate publica temperari. Et revera si ad eas incitas res redigatur, quibus maxime enormia flagitia sint, & periculum emergat, ne pietas, & clementia non prosit, immo & futurum timeatur, ne ad similia perpetranda cæteri inducantur, peccantis multitudinis nulla ratio habebitur, can. 37. caus. 23. quæst. 4. cap. 4. de Clerico excomm. ministr.. Deinde observo, hanc causam non puniendorum scelerum non esse facile cum prioribus comparandam. Et enim ubi agatur de prioribus causis, delictum quidem dicitur, quod admissum est, non crimen, quia illud nulla pœna ex legis potestate punitur; at ubi de peccante multitudine sermo sit, adhuc proprie crimen appellatur, quod admissum est, quia pœna remissa potius ex dispensatione, seu executioni non demandata, quam non indicta ab initio deprehenditur; cujus rei argumento gravissimo est, quod peccante multitudine non semper omnibus ad unum usque pœna remittitur, sed adhuc in eos, qui præcipuam causam delicto dederint, animadvertitur, dicto cap. 4. de Cleric. excomm. min.. Idem dici potest juxta Romanas leges de marito uxorem suam adulteram occidente, cujus flagitium adhuc crimen dicitur, nec sine pœna est, quamquam nonnihil rigoris lex ipsa remittat parcens justo dolori, juxta legem 38. §. 8. ff. ad leg. Juliam de adulter., l. 1. §. ult. ff. ad legem Cornel. de sicariis, & legem 3. §. 3. ff. ad Senatusconsultum Silanianum.

*Quotuplex sit crimen.*

**V**ulgatissimum adagium est, extrema quæque vitari oportere; sive enim in unam, sive in alteram partem eꝯ abeamus, quo longius iri nequeat, sine vitio fere esse non possumus. Utinam id servavissent, qui singulorum criminum qualitates, & species invicem contulerunt, quorum aliqui definiverunt, omnia peccata esse paria, nullumque omnino inter ea discrimen intercedere; alii e contrario tantam inter nonnulla scelera voluerunt esse distantiam, ut vix commune aliquid superesset. Primi generis fuere Stoici, quorum tamen opinio explosa fuit quorumcumque Legumlatorum sententia; & post institutam a Christo Ecclesiam numquam amplius audita fuisset, nisi eam iterum excitavissent olim, renovata quidem, sed inani contentione, hæretici Novatiani, uti referunt Ambrosius in libr. 1. de pœnitentia cap. 1., & 2., Augustinus in epist. 29. ad Hieronymum, Marcus Antoninus Imperator cognomento Philosophus libr. 2. de rebus suis, ac Cicero Academicarum quæstionum libr. 2., & de finibus bonorum libr. 4.. Posterioris generis fuerunt iidem Novatiani, qui temporibus Ambrosii, eodem Ambrosio teste in libr. 1. de pœnitentia cap. 2., tradebant quædam esse peccata, quorum veniam possumus a Deo sperare, quædam e contrario, quæ nunquam sint a Deo pœnitentibus remittenda. Miraris forte hanc Novatianorum tergiversationem, modo cum Stoicis paria esse peccata tradentium, modo tantam peccatorum differentiam adsignantium? Præterquamquod hæc est hæreticorum consuetudo, qui numquam sibi concinere constanter potuerunt, & dummodo adversus ecclesiastica dogmata pugnent, non dubitant, se contrariis doctrinis involve- re; id expediebat Novatiano olim Stoi-

corum sectæ addicto, qui ubi se junxit Novato, mutavit opinionem, ut ego observavi in meis notis in canones Gratianeos ad libros Ambrosii de pœnitentia, parte 3. pag. 111.. Utrumque autem opinionis genus jam satis firmissimis argumentis confoderunt Ecclesiæ Patres, nec quidquam adjiciendum superest.

Adversus Stoicos, & quotquot Stoicorum opinamento adhæserunt, pugnaverunt, ut modo dicebam, Legumlatores universi; statim ac enim isti diversas, seu modo leniores, modo asperiores pœnas peccatis indixerunt, perspicue indicaverunt, se peccata alia aliis graviora agnovisse. Sancti Patres eadem ratione, qua pugnaverunt contra Jovinianum dicitantem, omnes virtutes pares esse, contra quem videtur esse sententia Augustini in can. 11. de pœnit. dist. 4., pugnaverunt etiam contra eos, qui nullum inter delicta discrimen agnoscerent; & ad hos confutandos vel unum satis fuisset Christi responsum, Joannis cap. 19., dum ait Romano Præsidi: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Posterior quoque Novationorum doctrina Evangelicis Christi institutionibus adversatur, cum noverimus datam Apostolis, & successoribus Apostolorum sine discrimine quæcumque solvendi facultatem, Matthæi cap. 18., Joannis cap. 20., hodie autem vix locus esset improbo cuique aliter interpretandi Evangelica testimonia, utpote quæ ad quæcumque crimina referri, perpetua Patrum traditio docet. Gravissimum inter cætera fuit argumentum Ambrosii in can. 51. de pœnit. dist. 1., ubi cum adnotasset a Christo factam fuisse Apostolis æque & ligandi, & solvendi potestatem, jure postulabat, quomodo non æque per Ecclesiam Dei ministram peccata omnia sine discrimine remitte-

tur, quando retineri per Ecclesiam peccata omnia sine discrimine potuissent. Equidem non ignoro, Novatianos, cum aliqua peccata irremissibilia dicerent, provocavisse ad quædam sacrarum literarum testimonia, quæ aut non intelligebant, aut sana ratione intelligere detrectabant. Imprimis asserunt, remitti peccata posse ante baptismum admissa, post baptismum nullo modo, in medium proferentes testimonium Pauli in epist. ad Hebræos cap. 6. ibi: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari per pœnitentiam; & cap. 10. ibi: Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Inde vero mutata sententia, dixerunt, irremissibilem esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, utentes Christi Domini verbis illis apud Matthæum cap. 12. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemie non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Abuti quoque potuerunt doctrina Joannis, dum Apostolus in epistola 1. cap. 5. prope finem, quædam ait esse peccata ad mortem, pro quorum reis orandum non sit apud Deum, quasi & id concinat cum sententia, quæ habetur in libr. 1. Reg. cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* & quæ paulo aliter exprimi visa est sub nomine Hieronymi in can. 59. de pœnit. dist. 1. ibi: *Si Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Hæc tamen omnia, & his similia, ad difficultatem potius, quam ad desperationem impetrandæ veniæ pertinent. Et revera ut ab Apostoli Pauli testimoniis exordiar, postquam ille in dicto cap. 6. epistolæ ad Hebræos tradidit, *impossibile esse eos, qui sunt semel illuminati, rursus renovari per pœnitentiam,*

subjicit statim: *Confidimus tamen de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tamen si ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri &c.* Quod ergo initio ad terrendum impossibile dixit, sperari adhuc posse conclusit, unde intelligeretur, esse valde difficile, quod impossibile dicebatur. Quod subjicitur in cap. 10., non relinqui hostiam pro peccatis post acceptam notitiam veritatis, alio spectat; uti enim ex toto contextu deducitur, scopus Pauli erat, ut traderet, non aliam hostiam pro peccatis post novam editam, promulgatamque legem esse posse, quam Christum, qui una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ac proinde frustra confidere pervicaces Judæos in suarum hostiarum oblatione, per quas ex ritu Mosaico sibi peccata remitti putabant. Evangelicam Matthæi sententiam in dicto cap. 12. commode jam explicaverunt veteres patres, Athanasius, Pacianus, Ambrosius, & Augustinus, quorum postremus in cap. 82. Enchiridii, & in epist. 50. ad Bonifacium contra Donatistas, qui eo ipso Matthæi testimonio abutebantur, inquit, tum demum non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum, cum ejus criminis reus usque in extremum vitæ de misericordia divina desperat, aut corde non flectitur, ut divinam pietatem imploret, quod criminis genus proprie blasphemia in Spiritum Sanctum dicitur. Ad eandem rem ita scribit Chrisostomus in homilia 42. in Matthæum: *Spiritusne, inquires, blasphemia non dimittetur pœnitentibus? Quod omnino falsum esse patet, nam & hoc peccatum dimissum scimus cum multis eorum, qui talia in Spiritum Sanctum dixerant. Quid igitur est, quod dicit? Significare voluit, multo minus cæteris hoc esse ignoscibile. Quamnam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus, ignorabant. Spiritus autem Sancti gratia multis, & magnis signis seipsam manifestaverat. Chrisostomi verbis lumen adferunt duo Ambrosii monumenta, quæ recensentur apud Gratianum in can. 19. caus. 1. quæst. 1.,*

& in can. 54. de pœnit. dist. 1., ubi Ambrosius adversus Novatianos pugnans notabat, Simonem Magum deliquisse in Spiritum Sanctum, veniam tamen, si pœnituisset, illi non fuisse ab Apostolo denegatam. Quod agebat Joannes in epist. 1. cap. 5. de peccato ad mortem, intelligendum est de cæcitate animi, & pervicaci obstinatione, quæ sane si irremissibilis a Deo est, non ex qualitate criminis proficiscitur, sed ex prava peccatoris affectione, qui velit in peccato manere. Quæ denique leguntur, aut in libr. 1. Regum cap. 2. *Si vir peccaverit in Dominum, quis orabit pro eo?* aut in vulgato illo dicto: *Si Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* quod sub nomine Ambrosii refertur in dicto can. 59. de pœnit. dist. 1., jamdudum explicavit Ambrosius adversus Novatianos in libr. 1. de pœnitentia cap. 9. scribens, his, aut similibus interrogationibus non subaudiendum esse: *nullus orabit*, sed potius, non adeo facile inveniendum, qui oret, quasi difficilius venia sit impetranda. Clarius pandam & divinarum literarum testimonia, & sententias Patrum. Clamant divinæ literæ, prædicant Sancti Patres, omnium criminum veniam sperari a Deo sine discrimine posse. Clamant divinæ literæ, prædicant Sancti Patres, nunquam remitti crimina, nisi per pœnitentiam. Duo hinc colliguntur consecutaria. Primum est, ubi quis proclivis ad pœnitentiam sit, sperare ipsum facilem veniam posse. Alterum est, ubi quis adduci nequit ad pœnitentiam, aut ad eam difficile inducitur, vel impossibile esse, vel difficilem remissionem. His principiis positis, notari necessario debuit, tres esse delinquentium personas, quarum aliæ delinquent ob infirmitatem, aliæ ob ignorantiam, aliæ dolo malo, id est, scientes prudentes. Delinquentibus ob infirmitatem, vel ob ignorantiam, faciliorem veniam sponderunt; quia & juvari infirmitas novis præsiidiis, & dissipari ignorantia novis doctrinæ luminibus facile potest; tum

vero delinquentes etiam facile ad pœnitentiam adduci. At delinquentibus dolo malo, difficilem, & pene impossibilem veniam concedendam esse dixerunt; quia isti duriores cervice sunt, & firmo, deliberatoque animi proposito tenacius criminibus hærent. En causam perspicuam, quare peccata baptizatorum difficilius remittuntur, quam non baptizatorum, quia baptizati nec adeo infirmi sunt, nec adeo in rebus divinis cæcutientes, uti non baptizati. En causam, quare peccata Sacerdotum difficilius remittuntur, quam delicta cæterorum; quia Sacerdotes selecti sunt in Ecclesia viri, & seu sanctitate, seu doctrina præ cæteris probati. En denique causam, quare peccata in Spiritum Sanctum difficilius remittuntur; quia in Spiritum Sanctum blasphemare dicuntur, qui prudentes scientes, & dolo malo, manifestatæ, cognitæque veritati resistunt. Equidem tres divinæ Personæ, quæ in eadem divina natura subsistunt, æquales sunt, neque una naturalis proprietas de una prædicari potest, quàm de altera prædicetur; docet tamen traditio ecclesiastica, singulari quodam jure tribui Patri potentiam, Filio sapientiam, Spiritui Sancto bonitatem, propterea quod in externis divinis operibus eadem divinæ Personæ pressius manifestaverint singulæ singulas illas proprietates. Cum autem potentiæ opponatur infirmitas, sapientiæ ignorantia, bonitati dolo malo; traditum est, eum, qui ex infirmitate delinquit, contra Patrem; eum, qui ex ignorantia delinquit, contra Filium; eum, qui ex dolo malo delinquit, contra Spiritum Sanctum peccare. Itaque si peccatum contra Spiritum Sanctum difficilius remittitur, id non est ex natura criminis, & ex divina voluntate veniam denegante; sed potius ex prava delinquentis affectione, qui difficilius pœnitentiæ, se subjicit, & vix ad veniam demisse a Deo petendam inducitur.

Dicta hæc generaliter sint, ut imprimis statueretur, varias criminum differentias adsignari oportere, quum pecca-

ta non esse inter se paria contra Stoicos diximus; deinde statueretur, non admittendam esse illam criminum distinctionem, quam tradiderunt Novatianij agentes, alia esse peccata remissibilia, alia irremissibilia. Indicemus nunc receptas criminum partitiones. Non memoro illam, quam tractationi tribuendæ accommodatam exhibui, tradens, alia esse crimina directo adversus Deum admissa, alia adversus res Deo sacras, alia singularia Clericorum, alia communia universis; hæc enim omnia ex ipso tractationis ordine sponte, & per se patet. Memoro imprimis, alia esse crimina, quæ qualitate, alia, quæ quantitate differunt, sive, uti loquuntur Theologi, vel specie, vel numero distinguuntur. Utilis est observatio hujus partitionis & in pœnitentiali secreto, & in judiciorum publico Ecclesiæ foro. Nimirum si de foro pœnitentiali agatur, perspicuum est Tridentini Concilii decretum in cap. 5. sess. 14., quo cautum est, ut a pœnitentibus apud Sacerdotem absolutionis obtinendæ causa pandantur peccatorum mortalium & numerus, & species, unde congruæ, & salutares pro modo singulorum pœnitentiæ indicantur. Et si de foro externo sermo sit, quis ignorat, statim occurrere in legibus varios coercendi modos pro varietate specierum, sub quibus crimina continentur; item disputari posse, an exasperandæ sint pœnæ, ubi reus in eadem criminis specie crimina multiplicaverit, & habitum habuerit delinquendi? Incidimus in disputationes scholasticorum, quoties disceptamus de tradenda regula, ad quam exigantur diversæ species delictorum, & criminum. Alii enim ex diversitate præcepti, diversam peccatorum speciem constituunt; alii ex diversa specie objecti, in quod tendat peccatum; alii ex diversa specie virtutis, cui peccatum opponitur. Ex diversitate præcepti videri non potest satis erui distinctio specifica peccatorum; ne forte quis dicere cogatur, in homicidio admissio tri-

plicem peccati speciem contineri, propterea quod triplici lege homicidium damnatur, naturali, divina, & humana; aut eum, qui simul & contra sextum, & contra nonum, aut & contra septimum, & contra decimum Decalogi præceptum agit, duplex specie crimen admittere. Neque enim præceptum præcepto additum in eadem re novam peccati speciem inducit; non innovat, aut immutat, sed potius firmat obligationem; quemadmodum promissio aut Deo, aut homini sæpe facta nullam novationem facit, tantum ratam habet olim factam pollicitationem. Neque ex specifica, uti scholæ loquuntur, diversitate objectorum, criminum species discernuntur, sive quod in diversis specie objectis sciamus unum specie esse peccatum; sive quod in uno, eodemque objecto admitti diversa specie crimina possunt. Unum specie peccatum est ab eo admissum, qui servum cum peculio furetur, quamquam servus, & peculium specie differant, & in utroque furtum dicitur. Diversa specie peccata sunt in eo, qui pecuniam clam subriperet, & in eo, qui pecuniam per vim à domino raperet; furtum aliud hæc vis bonorum raptorum, seu rapina vulgo appellatur, quamquam utrumque crimen in eadem pecunia versetur. Restat igitur, ut concludamus, potius ex specifica diversitate virtutum, quibus crimen opponitur, diversas criminum species esse eruendas. Qua in re duo sunt observanda: Primum est, nomine virtutis, non intelligi virtutem quamdam generalem, quæ omnes in se virtutes complectitur, qualis ex. gr. est virtus obedientiæ, quæ in omni crimine violatur, aut qualis est virtus justitiæ in sua latitudine amplissime dicta, quam lædere dicitur quicumque quodcumque delictum admittat. Virtutis nomine intelligitur ea, quæ certam specie virtutem ab altera distinctam constituit. Alterum est, nomine virtutis intelligi debere eam, qui sub obligatione vel generalis legis, vel singularis præcepti cadat: neque enim

omnes virtutes, in obligatione sunt. Quibus positus, ut exemplum tradam, furtum rerum sacrarum, quod virtuti religionis opponitur, specie distat a furto rerum minime sacrarum, quod virtuti singulari justitiæ adversatur, & non tam furtum, quam sacrilegium appellatur, & singulari pœna legibus plectitur, l. 6., & 9. ff. ad leg. Jul. peculat., l. 16. §. 4. ff. de pœnis. Quantitate, seu numero differunt crimina, quæ eidem virtuti opposita per actus, ut ajunt scholæ, moraliter interruptos, iterum admittuntur, id est, si interna sint, per novam consensionem, aut deliberationem voluntatis; si externa sint, per novum actum a priore distinctum, sive idem objectum sit, sive diversum. Ubi multa admissa sint crimina non specie quidem, sed tantum numero differentia, regula generalis est, quæ tradit, pœnam non ideo augeri, aut immutari. Quinque tamen sunt ad hanc regulam exceptiones. Prima est, si aliud expresse cautum lege fuerit, uti in l. 28. §. 3. ff. de pœnis. Secunda est, si agatur de pœnis levioribus ad rei emendationem potius, quam ad læsæ reipublicæ satisfaciendum indictis, l. 3. cod. de patria potest.. Tertia est, si agatur de pœnis non nisi adversus eos indictis, qui consuetudinem habeant delinquendi, uti in cap. 1. de usuris. Quarta est, si agatur, non de pœna inferenda, sed potius remittenda, quæ sane facilius iis, qui semel, quam iis, qui iterato, & ex consuetudine deliquerunt, remittitur, l. 3. vers. *His ergo*, cod. de Episc. audient.. Quinta est, si agatur de foro pœnitentia, sive de pœnitentia infligendo, can. 10. caus. 6. quæst. 1., can. 60., & 78. de pœnitent. dist. 1., cap. 8. de pœnitent., & remission., si quidem pœnitentia indicitur non solum ut Deo, & Christianæ Reipublicæ satisfiat, sed etiam ut pravis delinquentis affectionibus medela porrigatur; eamque ob rem salubrius est peccatori, eo diuturniori, atque asperiori pœnæ subjacere, quo

pluribus delictis animo infirmatur.

Altera, & quidem vulgaris, criminum divisio est, qua alia publica dicuntur, alia privata; quod aliter civilis, aliter Ecclesiastici juris cultores explicant. Etenim civilis juris studiosi privata appellaverunt, quæ privatis damnum, vel injuriam adferunt; publica, quibus in Rempublicam directo peccatur, data in his unicuique de populo reos accusandi facultate, l. 3. §. 1. ff. de publicis judiciis. Ast Ecclesiastici juris studiosi publica dixerunt, de quibus palam constat, & publico judicio quaeritur, publice propterea punienda, canone 33. dist. 50. cap. 1. de pœnit., & remission., privata, quæ occulta sunt, seu quæ unius rei, non aliorum conscientia tenentur, & vix Sacerdoti secretam pœnitentiam indicturo produntur, can. 34. dist. 50., can. 31., & 32. de pœnit. dist. 1.. Præterea alia crimina sunt ecclesiastico foro, alia civili private subjecta, alia mixta, quæ tum a civili, tum ab ecclesiastico Judice coercentur, in quibus propterea qui Judex prævenit, alterum excludit cap. 19. de foro compet., cap. 8. de offic., & potest. Jud. delegat. in 6., l. 7. ff. de judiciis. Horum perspicua sunt in sacris canonibus exempla, ac præcipue in iis, quibus unaquæque gens instruitur, utriusque potestatis concordatis. Item alia ordinaria sunt, quibus jure communi definita est, alia extraordinaria, quibus judicis arbitrio definienda pœna mandatur. Atque ut paucis utiliora complectar, alia aut speciale nomen habent, aut speciali nomine carent; alia aut dolo admittuntur, aut impetu, aut negligentia, aut casu; alia denique vel adversus mosmetipsos, vel adversus proximum, vel adversus Deum perpetrantur, quemadmodum indicavit Paulus ad Titum cap. 2. ibi: *Sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo: nimirum imprimis sobrie, ne adversus nos, deinde juste, ne adversus proximum, denique pie, ne adversus Deum delinquamus.*



## CAPUT III.

*Quinam rei criminis babeantur.*

Huc inter cætera referendus est titulus 23. libr. 5.

**Q**UAMQUAM quod ad pœnam attinet in foro externo subeundam non solus peccandi animus quemquam reum constituat, nisi voluntas exterius se ipsam quoquo modo prodiderit, quia, ut ait Cicero libr. 3. de officiis: *Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias, leges, quatenus manu tenere res possunt, Philosophi, quatenus ratione, & intelligentia*; non tamen ex factis, sed potissimum ex animo crimen dicimus. Hinc tria statim colligimus, veluti summa disciplinæ principia. Primum, nullo modo reos criminum habendos esse, qui nullo voluntatis vitio, non dolo, non lascivia, non culpa, aliquid sui natura turpe, aut inhonestum admiserunt; secundo, si non a flagitio, saltem a gravitate flagitii excusari, ac propterea mitiore pœna puniri eos, qui levioere, & minus firmo consilio peccaverunt; postremo, eos proprie dici criminum reos, & pœnæ legum ordinariæ subjacere, quibus grave fuit, & solidum delinquendi propositum, ac voluntas. Juvat singula paucis explicare.

Ex prima regula proficiscitur, nec criminis reos dici, neque ulla admissi pœna teneri infantes, aut, qui infantibus æquiparantur, amentes, furiosos, ac dormientes, Clement. unic. de homicid., & eos, qui vi ad aliquid faciendum, vel non faciendum adiguntur. Dixi vi; etenim si tantum metus intervenerit, utut gravissimus, iste quidem crimen imminuet, non delebit, cum metus non auferat, sed tantum elevet libertatem, quam sane demonstrat, quæ integra manet vis, ac potestas eligendi; argumen-

to capituli 3. §. ult. de baptismo cap. 5. de his, quæ vi, metusque causa fiunt. Revera infantes furiosi, amentes, dormientes, ac vi adacti, aut dicuntur voluntate carere, aut voluntate non uti, sive nullam habere deliberandi facultatem, in voluntate autem, aut voluntatis usu, seu in facultate deliberandi, præcipua sedes delicti est; & non alia de causa res inanimæ, aut bruta delicti expertia nuncupamus, nisi quod careant voluntate. Quod si in furiosos, iisque similes animadverti aliquando videamus, quod vinculis detineantur, non est hæc flagitii pœna, sed cautio, qua pericula avertuntur, veluti cum venenatas fruges, herbasque aut projicimus, aut seponimus, ne passim obesse possint, graviterque nocere. Idem dicendum est de iis, qui casu deliquerint, dummodo casum nulla, ne levis quidem, culpa præcesserit. Adde his illos, qui ex ignorantia vel juris positivi, vel facti, adversus legem quidquam admiserint, dummodo tamen distinguas crassam, & supinam ignorationem ab ea, quæ vinci facile non potuerit; est enim quod imputetur illi, qui aut facti adjuncta, cum possit, minime investigat; aut, dum juris ignoratione laborare vult, non eo animo est, ut delicta declinet, sed potius, ut prætexendo delictorum, excusationem delinquat impune, cap. 9. de Cler. excomm. min., cap. 2. de constitut. in 6.. Sunt etiam, qui certis in casibus non solum delicto immunes sunt, sed & bene merentur, utut adversus generales, ipsas quoque naturæ leges facere videantur; nimirum, qui speciali

divino jussu excitantur ad aliquid admit-  
tendum, quod tamen quam rarissime con-  
tingit. Paucis id explicat Augustinus in  
can. 15. caus. 23. quæst. 5. de lege  
æterna Dei ita scribens: *Lex æterna ita  
medio quodam loco posuit aliqua hominibus, ut  
in eis usurpandis merito reprehendatur auda-  
cia, in exequendis autem jure obedientia  
laudatur. Abraham, si spontaneus in occiden-  
do filio motus fuisset, execrabilis haberetur:  
at jubenti Deo obsecundans famulatus est.* Re-  
censui verba Augustini, prout apud Gra-  
tianum descripta sunt? cæterum cohærent  
cum sententia Augustini in libro 22. con-  
tra Faustum.

Profluit ex secunda regula, eos,  
qui judicii infirmitate laborant, adhuc  
reos criminis haberi, licet a magnitudi-  
ne facinoris excusentur, proindeque ex-  
tra ordinem puniantur. Hujusmodi sunt  
primo, quibus animus causa ætatis in-  
becillis est; secundo, quibus animus  
ægritudine quadam, aut lascivia est  
corruptus; tertio, quibus animus exte-  
riore quadam causa est impeditus; quar-  
to, quibus animus est interiore igno-  
ratione obcæcatus. Itaque imprimis obser-  
vo, etsi anima nostra sit immortalis, ex na-  
tura sua incorporea, & quo tamen ipsa  
corpori alligatur, videri eam quodam-  
modo cum corpore ipso adolescere, ac  
perfici. Hinc in infantia, uti modo ad-  
notabam, vix explicari potest facultas  
deliberandi, quod necdum discerni po-  
test lex, nec propterea bonum a ma-  
lo. Ex eo sequitur, ut infantes veluti  
doli prorsus expertes, omnino a cri-  
mine dicantur immunes. Quid tamen de  
iis, qui infantiam egressi sunt, id est,  
vel septennium proxime attingunt, vel  
septenium excesserunt, & pupillarem  
adhuc ætatem agere dicuntur, aut pu-  
pillari jam exacta ætate nondum di-  
cuntur majores? Ut ego verum fa-  
tear, varia in hac parte sunt & eccle-  
siasticarum, & civilium legum monu-  
menta, quæ forte etiam dixeris invicem  
adversari. Certa lex universis casibus  
accommodari non poterat; neque enim

definiri ullo modo potest, qua primum  
ætatis parte, quo die, quove anno quis  
incipiat veri, & pœna ordinaria dam-  
nandi doli capax esse; & quemadmo-  
dum operam penderet Legislator, qui  
vellet corporibus modum adolescendi  
statuere, ita & is, qui definiret, quo  
primum tempore animus induat consilii  
firmitatem. Solet quidem ut plurimum  
a septennio usus fieri judicii, ac volun-  
tatis imperfectus tamen adhuc est usus:  
liberior etiam usus fit, cum ætas in-  
dies, menses, annosve producitur; sed  
quis gradus in hominibus in universum  
ita definire possit, ut in certa ætate  
liberiores, atque expeditiores facultates  
dicat, aut minus, unde de majore, vel  
minore, de absoluto, & imperfecto do-  
lo judicetur? Hanc ob causam rem uni-  
versam prudenti Judicis interpretationi,  
& arbitrio singula pro adjunctorum di-  
versitate moderanti relinquendam cen-  
serem, cum modo firmiter, modo im-  
becillius dignoscatur, aut pupilli cum al-  
tero pupillo, aut minoris cum altero  
minore comparati consilium, quod vel  
paulo provectior ætas, vel insignis quæ-  
dam in re gesta audacia, & dominans  
præter modum impensa libido quando-  
que patefacit. Itaque de pupillis gene-  
ralis regula est, quæ docet, eos doli ca-  
paces esse, si proximi sint pubertati  
cap. 1. de delict. pueror., l. 111. ff.  
de regul. jur., l. 23. ff. de furtis; &  
licet Senatusconsulto Silaniano excusa-  
tionem illorum ætas habuerit, ubi ta-  
men gravissimum flagitium admisissent,  
dum præsertim proxime pubertatem at-  
tingerent, a capitali pœna immunes non  
evaserunt, l. 1. §. 32, & 33., juncta  
l. 14. ff. ad Senat. Cons. Silan.. Item  
apud Gregorium IX. scimus, eosdem  
excommunicationis pœnæ obnoxios fuis-  
se; quamquam facilius deinde præbita  
fuerit petendæ absolutionis, ac veniæ  
ratio, cap. ult. de sent. excomm., can. 118.  
in fine de cons. dist. 4.. Quis tamen in-  
terea dicet, in conspectu horum mo-  
numentorum, ætatem fuisse generaliter

definitam, quam primum constitueretur, doli capacem esse quempiam, & dam-  
nandum? De minoribus servato ætatis  
modo eadem fere recepta regula est, ut  
scilicet quidquam indulgeatur, can. 8.  
caus. 26. quæst. 7., can. 5., & 14.  
caus. 33. quæst. 2., l. 16. §. 3. in fine  
ff. de pœnis; interea tamen remissius  
agatur cum eo, qui vix pupillarem æta-  
tem egressus est, asperius cum eo,  
qui prope ad majorem ætatem ac-  
cedat; deinde in criminibus atrocissimis  
vix inspecto annorum discrimine se-  
verius animadvertatur, l. 36., & 38.  
§. 4. ff. ad leg. Jul. de adult., can. 3.  
caus. 21. quæst. 5., in minus atroci-  
bus, in quibus tamen gravis imminet,  
qualis esset infamiæ, pœna, clementius  
parcatur, l. 21. cod. ex quib. caus. in-  
fam. irroget., in levioribus quasi majores  
coerceantur, præsertim ubi pecunia-  
ria pœna sit, l. 9. §. 2. ff. de minor.,  
l. 4. cod. de servis fugit., atque hoc  
est, quod dicitur, tum in l. 108. ff.  
de reg. jur., tum in l. 37. §. 1. ff. de  
minorib., minori fore in omnibus delictis,  
& interdum occurri.

Si denique de illis agatur, quibus ani-  
mus ægritudine quadam, aut lascivia cor-  
ruptus est, triplex in hoc delinquen-  
tium genus discernendum est, quorum  
alii ebrii sunt, alii prodigi, alii justo  
quodam dolore perciti ad delinquendum  
excitati deprehenduntur. Quin in ebrie-  
tate delinquent, dicuntur a Marciano  
delinquere impetu, l. 11. §. 2. ff. de  
pœnis. Æquiparantur autem iis, qui las-  
civia labuntur, l. 6. §. 7. ff. de re mi-  
litari; proptereaque, ut ibidem dicitur,  
ordinariam pœnam evadunt, & extra  
ordinem puniuntur, attenda qualitate cul-  
pæ, quam se inebriando admiserunt. Hinc  
recte agebat Augustinus in can. 9. caus. 15.  
quæst. 1. de Loth. incestuoso: *Culpan-  
dus est quidem, non tamen quantum ille  
incestus, sed quantum illa meretur ebrietas,*  
& Ambrosius in can. 7. ead. caus., &  
quæst. *Si qua per vinum deliquerint, apud  
Sapientes judices venia quidem facta donan-*

*tur, sed levitatis damnantur auctores.* Pro-  
digorum delinquentium nulla singularis  
est excusatio, qua ordinariam pœnam e-  
vadant, utut curatorem acceperint; non  
enim est verosimile, leges, quæ curato-  
rem dando prodigorum lasciviam cohibe-  
re voluerunt in rebus administrandis, a-  
liquam ipsis reliquisse doli exercendi fa-  
cultatem. Neque obstat lex 40. ff. de reg.  
jur., ubi prodigi nulla voluntas esse dici-  
tur, ejusdemque fit cum furioso compa-  
ratio; siquidem id tantum spectat vim ci-  
viliam obligationum, de qua Ulpianus a-  
gebat in libris ad Sabinum, l. 6. ff. de ver-  
bor. obligat. Qui justo dolore perciti ex-  
cesserunt modum, & deliquerunt, ve-  
nia quidem digni sunt, ita, ut ordina-  
riam pœnam evadant, adhuc tamen extra  
ordinem puniuntur, pro qualitate adjuncto-  
rum. Huc referre possum canonem 47.  
caus. 23. quæst. 5., ubi quidquam remis-  
sius agitur cum iis, qui ex zelo disciplinæ  
fervidiores, & acriores sese gessissent ad-  
versus excommunicatos. Exemplum etiam  
proferuntur Jurisconsulti in l. 3. §. 3. ff.  
ad Senat. Cons. Silan., l. 38. §. 8. ff.  
ad leg. Jul. de adulter., ubi marito par-  
citur occidenti uxorem in adulterio de-  
prehensam. Hinc etiam tradi solet, ho-  
micidium inter rixantes, & graviter con-  
tendentes admissum, cui subita ardens  
ira causam dederit, mitius puniri.

Ii deinde, qui dicuntur exteriore  
quadam causa impediti, ne legi pareant,  
sunt quicumque metu ad certam rem  
faciendam, vel non faciendam quodam-  
modo adiguntur. Profecto licet metus vo-  
luntatem minime excludat, minuit tamen,  
modo magis, modo minus pro metus ejus-  
dem qualitate, libertatem, seu eligendi fa-  
cultatem. Hinc est, ut si metus gravis fue-  
rit, & cadens in constantem virum, &  
ex eo peccatum a quoquam sit, reus  
criminis ordinariam pœnam evadat,  
quamquam adhuc extra ordinem punia-  
tur, can. 7. vers. *Si autem Episcopi* caus. 2.  
quæst. 1., cap. 5. de his, quæ vi met.  
causa fiunt. Similiter denique dicendum  
est de iis, qui interiore ignorantia ob-

cæcantur, sive illa sit juris, sive facti. Ignorantia quidem invincibilis a crimine prorsus excusat, & a quacumque pœna; at si talis sit ignorantia, quæ vinci potuisset, quæque non doli, sed culpæ, ac negligentia speciem habet, can. 41. caus. 24. quæst. 1. pro modo ejusdem culpæ, vel negligentia crimen adhuc dicitur vel gravius, vel minus grave: quod ipsum dicendum est de illis admissis, quæ perpetrantur ex minus accurata rerum observatione, id est, quibus inadvertentia causam dederit; in quibus sane casibus plurimum prudentis judicis arbitrio tribuitur, pro modo culpæ, & negligentia pœnam extra ordinem indicturi.

Juxta postremam regulam, quænam dubitatio esse potest, quin is ordinariis criminis pœnis coercendus sit, qui deliberto animo, & dolo, crimen admittat? Si qua iniri disputatio potest, ad eos pertinet, qui crimen admittendi quoquo modo consenserint. Quinque distinguenda sunt personarum genera. Primum est illorum, qui operam impenderunt; alterum eorum, qui mandaverunt; tertium eorum, qui consilium dederunt; quartum eorum, qui ratam rem habuerunt; postremum eorum, qui, cum impedire possent, non impediverunt. Quicumque opera delinquentem juvaverunt, aut ministerium præbuerunt scientes prudentes, eodem crimine, eademque pœna tenentur, can. ult. caus. 23. quæst. 8., cap. 8. 11. 13. vers. *Credentes* de hæreticis, cap. 7. de crimine falsi, cap. 6. *Hi quoque* de homicid., & alibi passim. Qui mandavit, ut certum crimen admitteretur, reus ejusdem criminis est, ac si ipse admisisset, est enim mandatarius, quasi mandantis instrumentum, veluti in homicidio manus occisoris, dicto cap. 7. de crim. falsi, cap. 2. de Cleric. pugnant. in duello, l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm.; immo & mandans proprie est causa criminis, quicumque autem causam delicto præbet, is reus delicti jure deprehenditur, cap. 11. de

homicid.. Id immo verum est, etiam si mandatarius aut mandatum executus minime fuerit, aut in exequendo mandato non servaverit formam sibi a mandante præstitutam; quemadmodum si mandans telo hominem occidi mandasset, vel clam; & homo occisus fuerit fustibus, vel publice; quidquid enim secutum est, cum a mandante originem duxerit, totum mandanti tribuitur. Et revera casus emergens prætor opinionem in re dolo facta agenti semper adscribitur, quemadmodum contingit in ea specie, qua quis dolo velit occidere Titium, & dum putat Titium occidere, Cajum occidit. Non idem evenire puto respectu eorum, qui consilium dederunt. Quod ut perspicue tradatur, observandum est præprimis, quid inter mandatum & consilium differat. Proprie in contractibus mandatum dicimus, quod interest vel mandantis, aut extranei cujusquam præter mandatarium: quod si tantum mandatarii intersit, tunc consilium appellatur, §. 6. instit. de mandato. Plene sicut in contractibus illud, quod interest, sive privata utilitas, ea est, quæ movet ad contrahendum; ita in delictis movent ut plurimum ad delinquendum privata quædam adjuncta iracundiæ, lasciviæ, & his similia; ac propterea quemadmodum in contractibus is dicitur consilium præbere, non mandatum facere, qui non quæ sua, aut extranei commoda quærit, sed potius quodammodo induit personam illius, cui consilium præbet, traditque, quid ipse facturus esset, si in talibus esset causarum adjunctis constitutus; ita in delictis, dicitur non mandavisse, sed dedisse consilium, qui non privata iracundia, aut lascivia, aut simili animi vitio motus delictum suadet, sed potius proponit, quod ipse esset in iisdem adjunctis positus admissurus. Posita hac generali doctrina, dico, eum, qui consilium dedit delinquendi causa, teneri de crimine, & pœna criminis, si crimen secutum fuerit, cap. 6. vers.

*Qui vero* de homicid., can. ult. caus. 23. quæst. 8., l. 12. ff. ad leg. Jul. de adulter.. At si crimen secutum non fuerit, consulens non tenebitur, id est, in foro externo pœna criminis non punietur. Neque enim qui crimen consulit, causam crimini præbet: tantum incipit movere animum, ut in criminis deliberationem feratur. Crimine secuto, consideratur tanquam unica actio; quæ cum a consilio initium ceperit, aut incrementum, tota una cum consilio in iudicium deducitur: sed ubi non habuit effectum, res coercetur intra fines meræ deliberationis, & propositi; alias autem verum est, non puniri in externo foro merum propositum, aut deliberationem. Clarius loquar, collatione facta interni cum externo foro, quod tamen velim accipiat, non ut æqua undecumque sit comparatio, sed ut, quod propositum est, nitidior in lumine collocetur. Devenitur ad peccatum internum, prout subjacet foro pœnitentia, per quatuor gradus; quales sunt impressio primum, deinde luctatio, cui succedit assensus, ac postremo executio. Quoties ad assensum, multo magis quoties ad executionem deventum est, incipit unum, esse peccatum, ita ut ex unitate actus, non solum mala dicatur voluntas in assensione, & executione, sed etiam mala voluntas in impressione, & luctatione, mala in impressione, quia impressionem non ægre recepit, mala in luctatione, quia luctationem non bene sustinuit. At quoties ad assensum deventum non est, eove minus ad executionem, nec mala impressio dicitur, nec mala luctatio, propterea quod utraque ad meritum profecta est. Accommodemus hanc ipsam doctrinam, sana tamen traductione, ad rem propositam. Ubi quis consilium criminis dedit, secuto scelere, scelus ipsum in interno foro cum consilio jungitur, quasi una sit actio, quæ a consilio aut originem cepit, aut incrementum. Nil ergo mirum, si & consilium puniatur. Quod si delictum non

sequatur, nihil est criminis, cui jungatur consilium, & sistit intra fines meriti propositi, & deliberationis: quæ in externo foro aut vix, aut parum attenditur, secus ac contingit in mandato, utpote quod per se jam est actio consummata. Si in contrarium dicas, in contractibus neminem ex consilio obligari, ex quo deducas, neque in criminibus ex consilio quem posse accusari; reponam ego, longe aliam esse & contractuum, & criminum rationem. Nam in contractibus si obligatio nasceretur, actio esset gratia illius, qui consilium accepit; huic autem est actio deneganda, quia est, quod eidem imputetur, quum minus prudens consilium secutus est. Verum in criminibus quæ vindicta sumitur, quæque conceditur accusatio, tota est gratia Reipublicæ, quæ curat diligentissime, ne prava consilia civibus præbeantur. Si iterum in contrarium opponas, Romanas leges actionem furti non concessisse adversus eum, qui furandi consilium præbuit, l. 36. ff. de furtis, §. 11. in fine instit. de obligat., quæ ex delicto, iterum ego reponam, id esse in furto singulare ob Romanorum principia, juxta quæ nullibi furtum intellexerunt, ubi nulla esset contractatio, quam contractationem deesse in eo, qui consilium tulit, manifestum est. Quicumque ratum habuerunt, vel laudaverunt crimen ab alio admissum, rei etiam criminis dicentur, si crimina in solo consensu consistant, & sola comprobatione perficiantur; non enim tunc propriæ est rati habitio alieni criminis, sed proprium, & singulare, immo & novum crimen illius, qui dicitur laudare, & ratum habere. Exemplum est in crimine hæreseos, in quod incidit, qui hæreticam doctrinam ab alio prolatam laudat, & ratam habet, cap. 2. 8. 11., & passim de hæreticis. Cæterum si de criminibus sermo sit, quæ solo consensu non perficiuntur, sed aliquid extra voluntatem adhuc desiderant absolvendum, distingui solet inter leviora delicta, quæ

levioribus, & graviora crimina, quæ  
 gravioribus pœnis reum obnoxium fa-  
 ciunt; ita ut in gravioribus criminibus,  
 & pœnis nunquam ratihabitio æquipare-  
 tur mandato, argumento l. 13. ff. de  
 his, qui not. infam., & in levioribus  
 facile æquiparetur, l. 152. §. 2. ff. de  
 reg. jur., quod ego ita intelligo, vi-  
 delicet cum causa pecuniaria est, & ex  
 delicto aliquid lucri devenit ad eum, qui  
 ratum habuit: neque vero dicendum,  
 generalem esse Ulpiani regulam in dic-  
 ta l. 152. scribentis: *In maleficio ratiha-  
 bitio mandato comparatur*; liquet enim, Ul-  
 pianum in libro 69. ad edictum, unde  
 deprompta lex fuit, egisse de interdicto  
 de vi, & vi armata, quemadmodum &  
 magis perspicuum fit ex collatione legis l.  
 §. 14. ff. de vi, & vi armata, & legis 3.  
 §. 10., & 11. eod. tit.. In his casibus,  
 cum qui ratum habet delictum alienum  
 ex eodem delicto emolumentum sentit,  
 facilius tenebitur æque, ac si de con-  
 tractibus ageretur, in quibus dubium  
 non est, generaliter ratihabitio manda-  
 to æquiparari, l. 12. in fine. ff. de so-  
 lution., l. 6. §. 9. ff. de negot. gest.,  
 l. 56. ff. de jud., l. 60. ff. de reg. jur.,  
 l. 16. §. 1. ff. de pignor.. Immo & ob-  
 servatur in hac re, olim etiam in pe-  
 cuniariis, ac civilibus causis non con-  
 venisse in hoc principium universos Ju-  
 reconsultos, nam Ulpianus in dicta l. 1.  
 ff. de vi, & vi arm. scribit, se Sabini,  
 & Cassii opinioni adhærere, Sabini, in-  
 quam, & Cassii, qui summum jus æqui-  
 tate temperabant adversus Proculejanos,  
 & Pegassianos summo juri constanter  
 adhærentes. Immo & adhuc Justiniani tem-  
 poribus in his, ac similibus argumentis  
 Jureconsulti distinguere solebant jura a  
 factis, distinctione, quam subtilem ap-  
 pellavit Justinianus, atque uti talem re-  
 jecit in l. 25. cod. de donat. int. vir.,  
 & uxor., unde tandem ad stabiliendam

generalem regulam deventum est, qua  
 retraheretur ratihabitio, & mandato  
 æquipararetur, l. 7. cod. de Senat. Cons.  
 Macedon. Sacri canones hæc ipsa prin-  
 cipia receperunt in pœnis illorum delic-  
 torum, in quibus ratum habens aliquid  
 emolumentum sentiret, veluti in specie  
 qua quis pecunia ab extraneo donata be-  
 neficium consequeretur, deinde rati-  
 tam simoniam haberet, cujus conscius  
 antea non fuisset, cap. 59. de elect., ad-  
 de capitulum 23. de sent. excomm. in 6.  
 ubi qui ratum habuit, quod suo nomi-  
 ne gestum erat, visus est declaravisse,  
 quid sua interesset. Denique si de illis  
 agatur, qui cum crimen impedire facile  
 possent, minime impediverunt, scio, pas-  
 sim generalem regulam proferri, qua  
 traditur, eum, qui impedire negligit,  
 cum possit, crimine teneri, quasi is con-  
 sentire videatur, can. 8. caus. 23.  
 quæst. 3., cap. 2. de hæreticis, cap. 47.  
 de sent. excomm.. Verum hæc regula non  
 adeo generalis est, ut ad certos casus  
 restringi non debeat. Obtinebit illa tan-  
 tummodo, quoties agatur de illis, qui  
 in delinquentem certam potestatem exer-  
 cent, aut necessitudine quadam cum de-  
 linquente junguntur, & ratione potes-  
 tatis imperare delinquenti possunt, aut ra-  
 tione necessitudinis suadere vehementer, &  
 acriter, ut a delicto absteat, can. 12.  
 caus. 23. quæst. 8., cap. 17. de homi-  
 cidio, cap. 13. vers. ult. de hæreticis,  
 cap. 6. vers. & quidem, de sent. excomm.  
 in 6.. Cæterum quoties aliqui nullam in  
 delinquentem exercent potestatem, aut  
 tali necessitudine cum eo non junguntur  
 ut facile sperent futurum, ut a delicto  
 absteat, non ideo ipsi criminis rei  
 erunt, quod non impediverint, ut  
 præsentibus fuissent in eo loco, atque eo  
 tempore, quo crimen admittebatur, can.  
 ult. in fine caus. 23. quæst. 8..

## CAPUT IV.

*De modis, quibus crimina in iudicium deferuntur.*

Huc referendus est titulus 1. libr. 5.

**N**ON ego quidem ex iis sum, qui toti consistunt in investiganda antiquitate, res vero sui temporis ignorare indecore delectantur; ut enim nati sumus præcipue ad iuvandum pro virili parte eam, in qua vivimus, societatem, ea potissimum curare debemus, quæ ad nostræ ætatis utilitatem, felicitatemque conducunt. Cæterum ubi nonnullæ res veterum in medium proferantur, quarum cognitio aut necessaria, aut maxime utilis est, non ideo ab iis mihi abstinendum censeo, utpote quas ignorare pudor esset. Quatuor olim modis crimina in iudicium deferebantur, accusatione, denuntiatione, exceptione, & inquisitione, cap. 31. de simonia, cap. 16. 21., & 24. de accusationibus. Hodie ordinarius modus in inquisitione situs est; pluribus in casibus denuntiationes admittuntur; minus frequens est exceptio; prorsus autem videtur ab usu recessisse accusatio. Num ergo aut de denuntiatione, aut de inquisitione tantum agendum erit, nihil de exceptione, quia infrequens, nihil de accusatione, quia ab usu recessit? Juvat quam maxime & istarum, ac præsertim accusationis veterem disciplinam agnosce; sive quod totum Romanorum jus, in quo multa hodierna etiam scientiæ dogmata fundamentum habent, & causas, hoc argumentorum genere abundat; sive quod in codice Gratiano a causa præsertim 2. usque ad septimam hæc materies versatur, & apud Gregorium IX. multa ad eandem rem inveniuntur; sive denique quod vetus accusandi ratio tota hodie in denuntiationes, & inquisitiones translata est: unde nec apprime dignosci po-

test denuntiationum, inquisitionumque doctrina, nisi comperta sit ratio prisca- rum accusationum.

Erat accusatio delatio criminis ad vindictam publicam, legitima interveniente accusatoris inscriptione, cujus vi accusator fiebat quasi actor, & iudicium usque ad definitivam sententiam sustinebat, cap. 5. de procurator., l. 10. vers. *Qui nomen*, ff. de jurepatron., l. 14. §. 8. ff. de bonis libertor., l. 3., & 7. §. 1. ff. de accusation., l. 3. cod. de his, qui accusare. Quod ergo in civilibus causis actio, id in criminalibus accusatio appellabatur. Hinc fit, ut in aliquibus & actio, & accusatio congruerent; in multis distinguerentur. Congruebant in eo, quod accusator æque, ac actor iudicium inciperet, persequeretur, absolveret, etiam, ubi expediret, proposita, introductaque appellatione. Distinguebantur in causa, & in fine: in causa primum, quia actio ex civili obligatione proficiscebatur, accusatio ex crimine publico; deinde in fine, quia finis actionis erat persequi, quod actori debebatur, accusationis finis erat publica coercitio, & vindicta. Ex diversitate autem causæ ac finis, aliud discrimen ex rei natura emergebat in eo, quod accusator esse poterat unusquisque de populo, cum uniuscujusque intersit rempublicam salvam fore, eamque ob rem accusatio appellabatur actio popularis, id est, unicuique de populo concessa, nisi de iis ageretur, qui alias specialiter ab jure, aut moribus removerentur; contra actio illi tantum dabatur, cujus interesse privatim poterat, seu cui aliquid ex civili obligatione de-

bebatur. Quando autem dicitur, unumquemque accusare potuisse, non ita intelligitur, ut post accusationem ab uno intentatam, alii ulteriore iudicio accusare valerent, sed ut quicumque de populo alium præveneret, ipse legitimus esset criminalis iudicii institutor, ipse loco actoris haberetur, & cæteros deinde ad accusandum accedentes excluderet; ubi vero plures una concurrerent, is præferretur, qui Magistratus arbitrio magis idoneus haberetur, l. 2. ff. de popular. action.. Hinc jure agebat Paulus in l. 7. §. 1. ff. eod. tit., eum, qui habet populares actiones, non intelligi locupletiores, etiam in iis causis, in quibus pœna pecuniaria in reum probato delicto esset inferenda, & accusatori applicanda; nimirum antequam accusatio institueretur, cum præveniri ab altero posset; quod clarius explicat Ulpianus in l. 12. ff. de verb. signif., cum ait accusatorem in populari causa ante litis contestationem recte dici, creditoris loco non esse, postea esse. Quæri potest, an accusatio in jure, seu facultate consisteret, & in arbitrium conferretur, an potius in obligatione posita foret. Equidem postulare videtur utilitas publica, ne a pœnis atrocia crimina immunia evadant, ad cavenda reipublicæ pericula. At obligationem inducere accusandi in unumquemque de populo, asperum visum fuit, ne forte etiam mansueti, & iudiciorum inexperti homines in suam fidem causam publicam recipere tenerentur, aut ne periculo suo iudicium grave instituerent, & minus instructi, prout rem deceret, probationibus de calumnia damnarentur. Alia autem spes erat, ut si accusatio arbitrio uniuscujusque remitteretur, quisquam futurus esset, qui crimen opponeret ad vindicandam rempublicam, & probationibus solertius quæsitis, relatisque vividius, ad iudicium accederet, quod & alacrius, ac firmiter persequeretur. Immo & aliquando ad provocandos accusatorum animos, etiam

præmia quandoque accusatoribus decreta fuerunt. Immo & si hæc sufficere non videbantur ad bonum societatis, poterant quædam personæ publica auctoritate designari, ad quorum officium, deficientibus cæteris, accusatio pertineret; quemadmodum recentioribus sæculis factum est, quando designati fuerunt procuratores, seu, ut vocant, promotores fiscales, quorum denique institutio disciplinam actionum popularium abolevit. Cæterum quibus temporibus accusatio in iudiciis publicis in usu erat, tres erant singulares casus, in quibus accusatio erat in obligatione. Primus erat, cum quis jam iudicium instituisset, & præveniendo cæteros de populo ab accusatione exclusisset; vel enim falsum erat crimen, quod objicebatur; tum vero æquum non erat, contumelia affectum relinqui accusatum, atque accusatorem calumniæ reum pœna vacuum ab iudicio secedere. Vel verum erat objectum crimen; tum vero interesset reipublicæ controversiam definiri, & sumi de accusato vindictam; alias enim ex voluntate privati, qui cæteros ab accusatione exclusit præveniendo, publica sublata fuisset utilitas; immo & fraudibus locus fieri potuisset, quando accusator facile collusisset cum reo, instituendo iudicium ad excludendos cæteros, ceptumque iudicium ad rei commodum deserendo. Secundus casus erat, cum quis supresso nomine suo crimen alicujus palam vulgasset ad inuendam reo infamiæ notam; tunc enim si palam se prodidisset, & accusationem in iudicio non instituisset, gravissimis pœnis coerceretur, tanquam insignis calumniæ reus, can. 1., & 2. caus. 5. quæst. 1.. Ad tertium casum spectat salubris disciplina, qua traditur, licet potestas accusandi in arbitrium cujusque collata videretur, non tamen potuisse eum, qui talem facultatem haberet, accepta pecunia pacisci, ne accusaret, cap. 14. de simonia. Id enim imprius vergeret in reipublicæ detrimentum,



quia facile rei quicumque scelerum admissorum pœnas pecunia data redimerent; deinde non licet alicui privata pactione renuntiare iis, quæ competunt unicuique non uti privato, sed uti uni de populo, quasi agendum publice electo, argumento cap. 12. de foro competenti.

Itaque dabatur unicuique de populo reos accusandi facultas, nisi de eo ageretur, qui vel lege, vel moribus ab accusando repelleretur. Habet hæc exceptio duplicem observationem. Prima est respectu eorum, qui generaliter in judiciis publicis accusare non poterant, ita præcipiente, aut probante jure etiam vetustissimo Romanorum. Secunda est respectu eorum, qui singulari jure in Ecclesia, vel ab Ecclesia ab accusando fuere remoti. Jus civile vetustum Romanorum a cujus disciplina in hac parte fere recessum non fuit in Ecclesia, excluserat ab accusando eos, qui de publico crimine accusati sunt, pendente judicio, vel qui de calumnia convicti alias fuerant, facile litigantes, & quomodocumque suspecti, quorum numero recenseri jure possunt, qui graves cum accusato inimicitias gerunt, denique omnes infames; quod etiam fuit sacris canonibus comprobatum, can. 4. caus. 3. quæst. 5., can. 1., & seq. caus. 3. quæst. 10. can. 1., & sequent. caus. 3. quæst. 11., can. 1. caus. 4. quæst. 1., cap. 7. 10., & 13. de accusatione. Præterea erat, qui non admittebantur ad accusandum ex causa reverentiæ in reum debitæ, aut singularis necessitudinis inter reum, & accusatorem. Hinc nec parens filium, nec filius parentem, nec servus dominum, nec familiaris familiarem accusare poterat, l. 20. cod. de his, qui accusare, immo nec frater fratrem, sororemve, nisi ageretur de levioribus delictis, l. 8. cod. eod. tit., aut de hæreseos crimine, in cujus accusatione multa singularia recepta sunt ad exemplum criminis læsæ majestatis, cap. 14. de

præsumptione. Singularis etiam benevolentia, ac necessitudo impediabat, ne maritus uxorem accusaret, excepta tamen adulterii causa, in qua sine ulla dubitatione etiam singulari jure mariti vir accusare uxorem poterat; & quamquam eadem facultas civili Romanorum jure denegaretur uxori adversus maritum adulterum, l. 1. cod. ad leg. Jul. de adulter., aliter tamen receptum deinde fuit ex canonum disciplina, can. 4. caus. 32. quæst. 4.. De feminis generaliter cautum erat, ne ad accusandum admitterentur, nisi suam, aut suorum injuriam prosequerentur, can. 1. 2. 3. caus. 15. quæst. 4., l. 4. 9. 14. cod. de his, qui accusare. Quod si de jure in Ecclesiam, vel ab Ecclesia invecito sermo sit, quæri primum potest, an excommunicati, inde, an Monachi possint ad accusandum admitti, denique, an Clerici Prælatos suos, an laici Clericos, an e converso Clerici laicos valeant accusare.

Ut de excommunicatis primum loquar, generale principium est, eos, qui ad universitatem minime pertinent, accusare non posse; quod pendet ex altiore principio: nimirum accusatio, quæ datur unicuique de populo, ideo datur, ut nomine universitatis adversus reos agatur. At nomine universitatis agere nequit, seu universitatis personam sustinere non potest, qui non est in universitate. His positis, tota quæstionis definitio pendet ex investigatione, an excommunicati sint in Ecclesia, an minus. Distinguendum profecto est inter eos, qui proprie anathematizati dicuntur, quales sunt hæretici, aut qui ex aliis causis extra causam hæreseos post excommunicationis censuram in eadem insorduerunt; atque inter eos, qui non anathemate, sed censura excommunicationis notati sunt, & proprie, ac simpliciter excommunicati necdum insordescerent appellatur. Ista distinctio clarius tradetur in posteriore tractationis parte, ubi erit de excommunicatione

disserendum. Igitur qui anathematizati sunt ob hæresim, vel qui ob alias causas post excommunicationis censuram per annum in ea insorduerunt, penitus extra Ecclesiam sunt. Etenim excommunicati insordescentes hæreticis æquiparantur: proindeque non admittuntur ad accusandum, can. 36. 37. caus. 11. quæst. 3. cap. 13. vers. *Qui autem de hæreticis, cap. 7. eod. tit. in 6..* Ad hos autem pertinere puto canones 6., & 7. caus. 3. quæst. 4., uti canonum ipsorum, quæcumque sit illorum auctoritas, verba demonstrant. Ad rem Constantinopolitana I. Synodus, & generalis ita definivit in can. 3. *Ut primum quidem hæreticis non liceat orthodoxos Episcopos de rebus ecclesiasticis accusare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Ecclesia ejecti sunt, & qui sunt postea a nobis anathematizati.* Addidit idem Concilium, idipsum esse & de schismaticis dicendum; etenim vix schisma esse potest, aut olim vix schisma erat, quod non foret cum hæresi junctum. Dubitari tantum potest de iis, qui censura tantum excommunicationis percussi sunt, & nec hæretici sunt, nec hæreticis ob insordescentiam comparati. Equidem isti adhuc communionis ecclesiasticæ iura in radice, ita dixerim, retinent, argumento capituli 3. 4., & 5. de Cler. excomm. ministr., usu tamen eorundem iurium interdiciuntur. Eam ob rem, licet jus accusandi adhuc habere videantur, accusare tamen nequeunt, quasi quodam facti impedimento irretiti. Ad rem ita prosequuntur Constantinopolitani Patres in can. 3. modo laudato: *Præterea autem etsi aliqui eorum ab Ecclesia ob aliquas causas prius condemnati, & rejecti, vel excommunicati fuerint, sive ex clero, sive ex laicorum ordine sint; nec iis licere Episcopum accusare, priusquam proprium crimine absterserint.* Idipsum statuerunt Patres Carthaginenses in can. 1. caus. 7. quæst. 1., & recentioribus sæculis rescripsit Innocentius III. in cap. 20. de accusat. Liqueat inde, exitu quidem ins-

pecto æque removeri excommunicatos, atque anathematizatos ab accusando; interea tamen discrimen inter utrosque intercedere, quod anathematizatus removeatur ex natura iudicii publici, quod non admittit constitutos extra universitatem, excommunicatus autem removeatur impedimento quodam, quo, ut ut agendi jus habeat, detinetur tamen interea, ne in iudicio agat.

An Monachi ab accusando repellantur, Gratianus quærendum censuit post canonem 52. caus. 2. quæst. 7., & postquam duo recensuit monumenta in can. 53., & 54., quorum primum Hadriani collectioni, alterum Pelagio II. tribuitur, & ex quibus deduci videbatur, Monachos accusare non posse, de more suo ad distinctiones confugit, concludens, Monachum accusare valere *ex necessitate charitatis, non ex præsumptione temeritatis.* Nolo inquirere in Gratiani doctrinam; nam forte exinde deduceretur, an Gratianum nihil singulare de Monachis ad accusandum accedentibus tradidisse; aut si singulare quidquam censuit a Monachis veluti in solitudine consistentibus observari oportere, concessisse cæteris accusandi facultatem etiam *ex præsumptione temeritatis*, quod nedum a scriptis canonibus, seu & a recta ratione perquam alienum est. Potius consisto in monumentis a Gratiano descriptis in canone 53. sub Hadriani nomine legitur: *Placuit eorum accusandi Sacerdotes, & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem funestam interdici* (ita legendum est, non interdici) *potius, quam audiri oportet.* An de Monachis concepta hæc verba sint, divinitatis est: tantum dicitur, non esse audiendam in iudiciis vocem funestam eorum, qui divinis legibus mortui sunt. Symbolica hæc mortuorum mentio de hæreticis potius, aut similibus perditis hominibus facta intelligeretur. Hæc sententia legitur in Capitularibus Francisci libr. 7. cap. 440., quin ta-

men adpareat, eam quoquomodo ad Monachos pertinere. Quod si collector Capitularium id derivavit ex capitulis Hadriano tributis, & capitula Hadriani vulgo habentur veluti fragmenta, & centones mercium Isidori Mercatoris, quid mihi elaborandum est, ut in id curiosius inquiram? Correctores Romani jam adnotaverunt, similia verba reperiri in epistolis & Stephano, & Melchiodi a Mercatore adscriptis; immo adjecerunt, in capitulis Hadriani hæc verba esse subsequenda: *Quoniam infidelis homo mortuus est in corpore vivente*, quibus inducatur, auctorem illius monumenti nomine mortuorum symbolice intellexisse non Monachos, sed infideles, aut similis generis perditos homines, argumento canonis 6. caus. 3. quæst. 5.. Video tamen, unde verba mutuatus fuerit auctor canonis, scilicet ex l. 3. cod. Theodos. ne præter crimen majestatis, translata in codicem Justinianum, l. 20. de his, qui accusare, ubi cum familiaribus, aut servis prohiberetur, ne crimen domini in iudicium deferrent, excepto crimine læsæ majestatis, additum est: *Vocem enim funestam intercidi oportet potius, quam audivi*. Quæ leguntur in can. 54. sub nomine Pelagii, præterquamquod laudata Pelagii epistola est commentum Mercatoris, nec in eadem quidem Pelagii epistola habentur. Tantum ibidem ista leguntur: *Similiter & omnes, quos divinæ leges mortuos appellant, submovendos esse ab eadem accusatione, & publicæ pœnitentiæ submittendos judicamus*; can. 6. caus. 3. quæst. 5., quæ sane verba consonant cum verbis canonis præcedentis, & longe posita sunt a proposita disputatione. Quidquid tamen sit de monumentis hujus generis, Monachos ab accusationibus removeri, receptum fuit, cap. 11. de accusat., nec injuria, propterea quod in recessu, & solitudine tota sita est illorum vita, nunquam judiciis publicis implicanda; ac licet Monachi pars sint universitatis, universitatis tamen

negotia gerere, & in accusando universitatis sustinere personam, non visum fuit solitariis hominibus accommodatum. Interea tamen exceptio probanda fuit, si de criminibus ageretur ab Abbate, seu a Præposito Monasterii, cæterisque Monachis admissis, præsertim ubi utilitas Monasterii, aut Monachorum graviter læderetur, cap. 3. 11., & 26. de accusatione. Id enim singulari jure interest eorundem Monachorum, & consentaneum visum est, uti in cæteris causis, ita & in hoc accusationum genere Monachos vice Monasterii fungi, & deferendo agere. Quod adeo verum est, ut officio judicis cogi Prælatus possit, ut de rebus Monasterii accusanti Monacho expensæ necessariæ tribuantur, ad controversiam sustinendam, dicto cap. 11..

An Clerici Prælatos suos gravium criminum reos accusare valerent, disputatione fuit primum concitata, quum lucem adspexerunt Mercatoris Pseudodecretales: Ut enim certissimum est, hanc accusandi facultatem usque ad sæculi septimi finem Clericis fuisse concessam, ita certum est, passim in epistolis Isidorianis eandem fuisse denegatam. Num ergo dicere sufficiet, disciplinam ab Isidoro insinuatam rejici oportere, & veteri potius judiciorum ecclesiasticorum consuetudini adhærendum? Declamantis id esset, non Interpretis, immo, & declamantis in inanem aerem, cum, licet Mercatoris decretales spurie sapientum omnium judicio sint, in parte tamen novæ stabiliendæ doctrinæ occasionem præbuerint. Itaque pro certo porrens, quod in confesso apud eruditos est, Isidorianas epistolas supposititias existimari, demonstrabo potius, primum, quænam occasio esse potuerit Mercatori, ut Clericos a Prælatorum accusatione rejiceret; deinde, quot ambagibus rem Isidorus involveret, dum foret disciplinam veterem eversurus; postremo, quis exitus fuerit tantæ contentions: his enim inspectis, uno oculo

tu & antiqua, & media, & postrema Ecclesiæ disciplina observabitur. Primis Ecclesiæ sæculis passim vigeat, ut ad continendos Prælatos in officio ipsi a Clericis, dum criminum rei forent, accusarentur; atque eo potissimum pertinebat conventus Episcoporum in Conciliis Provincialibus, in quibus deferentibus Clericis coram Metropolitano, & Suffraganeis causæ Episcoporum agitabantur, nec dubitabant Provincialia Concilia, ubi utilitas publica postularet, etiam reos Episcopos de gradu deijcere. Sexcenta possent in hanc rem referri veterum Synodorum monumenta. Erit tamen pro omnibus canon Sardicensis in can. 36. caus. 2. quæst. 6., ubi datur Episcopo in Provinciali Concilio damnato, ac dejecto facultas Romanum Pontificem appellandi. Id ægre tulerunt Episcopi quidam sibi nimium indulgentes, proindeque isti moliti sunt, ut, si fieri posset, severam hanc, ut ipsi videbatur, disciplinam evaderent. Qui Isidori Mercatoris nomen assumpsit, aut fuit unus ex istis Episcopis, aut certe voluit alicui ex his Episcopis, rem gratam facere. Commentitias ipse edidit veterum Pontificum epistolas, quas pene universas talibus sententiis respersit, quibus traderetur, Episcopos non esse a Clericis accusandos. Has decretales statim vulgavit Ingilramnus Metensis, & ipse Episcopus, ex quo latius per Episcoporum manus vagari cœperunt. Quidam interea eas festive exceperunt, ut liberius ecclesiastica in clero negotia gererent, nullas veriti Clericorum inferiorum accusationes. Multi ad honorem Episcopalis Ordinis rati id pertinere, facile comprobarunt. Plerique decepti inscriptionibus nominum, quibus eadem epistolæ decorabantur, fictionis ignari, contradicere non audebant, ut antiquitati & sanctitati illorum Pontificum, quibus tribuebantur, nihil detraherent. Profuerunt impostori adjuncta temporum: videlicet tum primum Occidentale Imperium mutavit

faciem, illud suscipiente Carolo Magno, qui & de Episcopali dignitate magnifice sentibat, & quidem jure; & facile censuit, eas epistolas vere esse Pontificum, quorum nomina præseferabant. Soli Archiepiscopi numero pauci conquerebantur, qui exinde intuebantur, & suam, & Provincialium Synodorum auctoritatem non leviter minui, quamquam & nonnulli Episcopis conniverunt, rati exinde se subtrahi ab accusationibus, quæ deferri coram Primate ad Nationale Concilium potuissent. Viguit diutius controversia, uti liquet in conspectu canonis 1. dist. 19., & ex celebribus dissidiis, quæ interfuerunt inter duos Hincmaros, patrum & nepotem, unum Rhemensem Archiepiscopum, alterum Episcopum Lugdunensem. Mirum est, quot figuris novam hanc disciplinam adumbraverit Mercator: modo enim agebat, Clericos esse veluti Episcoporum filios, Episcopos venerandos esse veluti patres, inhonestum autem filio esse adversus patrem accusationem intendere, exemplo Cham filii Noë, ideo divina maledictione damnati, quod paternum delictum minime texerit, can. 9. 12. 16. caus. 2. quæst. 7. can. 8. caus. 6. quæst. 1.. Argumentum urgebat ex eo, quod summa iniquitas esset accusare fratres, can. 16. caus. 6. quæst. 1., ut concluderet, iniquiorem esse accusationem in patrem. Adjiciebat his, majorem natu a minoribus accusari non posse, juxta præceptum Apostoli 2. ad Timoth. cap. 5. *Seniorem ne increpaveris*, can. 11. 52. caus. 2. quæst. 7., can. 20. caus. 5. quæst. 1.. Insuper agebat, ab ovibus pastores reprehendi non posse, quasi Episcopi mutorum essent animalium duces, can. 13. caus. 2. quæst. 7., can. 9. caus. 6. quæst. 1.. Abutebatur insuper passim Christi mandatis, vel ubi dictum est in Evangelio: *Qui vos tangit, me tangit*, vel ubi dictum est in sacris literis: *nolite tangere Christos meos*, can. 15. caus. 2. quæst. 7., ac denique agebat,

aliquando ex divina providentia fieri, ut a malis Episcopis regantur Ecclesiæ ad puniendos populos, aut cleros, qui propterea id debent demisso animo sustinere, can. 1. caus. 2. quæst. 7., can. 8. 13. 15. caus. 6. quæst. 1.. Hæc & alia similia urgebat Mercator, unicam tantum subjiciens exceptionem, cum scilicet Episcopi a fide erravissent, can. 8. 13. caus. 2. quæst. 7.. Interea vero Mercator, quasi in rebus omnino novis producendis adversus communem disciplinam hæsitans, variis sese involucris implicabat; neque enim potuit in eo proposito, ubicumque consistere, idemdem scribens, difficilius admittendas esse Episcoporum accusationes, seu tum admittendas esse, cum qui accusat, bonæ sit opinionis, & jam privatim Episcopum admonuerit, & non odio, non calumnia, non temeritate accesserit ad accusandum, can. 16. 17. 18. 19. 21. 23. 39. 52. caus. 2. quæst. 7.. Majoribus involucris irretiti fuerunt recentiores in conspectu tot monumentorum, quorum aliqua vel ab Isidoro deprompta, vel Isidorianis mercibus consentanea Clericos ab Antistitum accusatione removerunt, aliqua e contrario, Clericos ad id officium admiserunt, qualia erant monumenta Isidoro antiquiora, can. 20. 22. 28. 43. 44. 45. 46. 47. 49., & 57. caus. 2. quæst. 7., cap. 20. caus. 12. quæst. 2.. Immo & recentioribus sæculis fuerunt receptæ hujus generis accusationes, quamquam obtinuerit, Episcoporum crimina ad Pontificem Maximum deferri, quemadmodum liquet passim ex collectionibus Decretalium, inter cætera ex cap. 15. de accusation., adeo ut Interpretes in conspectu Isidorianæ disciplinæ passim tradiderint, ac receperint, eam ita esse temperandam, ut ad eas demum species contraheretur, quibus Clerici adversus Episcopum odio quodam, aut obedientiæ tædio ad accusandum devenissent, quod sane non est novam Isidori disciplinam in hac parte Clerico-

rum admittendorum vel rejiciendorum recipere, sed perpetuam disciplinam canonum confirmare, aut instaurare.

Ea ipsa principia, quæ jaciebat Isidorus Mercator ad Clericos minores, seu subditos a majorum seu Prælatorum accusationibus repellendos, suadebant, ne laici Clericos accusarent. Proinde Mercator, ne sibi minime constans videretur, manifeste tradere debuit, non esse excipiendam laicorum adversus Clericos accusationem, can. 1. 2. 3. 5. 6. 8. 9., & passim caus. 2. quæst. 7., ubi multa recensentur Pseudodecretalium Isidorianarum fragmenta. Mutari exinde cœpit sæculo octavo vetus judiciorum disciplina. At inde gravissima in Christianam rempublicam incommoda derivaverunt. Imprimis enim Clerici plures nullas amplius veriti laicorum accusationes, ansam liberius delinquendi arripuerunt; neque inverosimile est, ex hac etiam causa proflixisse morum depravationem, ac corruptelam, qualem in Clericis sæculo nono, decimo, & undecimo lugere Ecclesia debuit, quemadmodum historici universi testantur. Secundum cum laici nossent, sibi interdicti accusatione Clericorum, alias autem sua interesse putarent, certos quorundam Clericorum excessus puniri, ipsimet sine iudice vindictam sumebant, unde undecimo sæculo eousque deventum est, ut Arnaldus Brixienis prædicaret palam, insequendos esse Clericos, percutiendos, cædendos, atque mastrandos, qua in re multos habuit traditionis suæ sectatores, quod occasionem dedit ferendo canoni 29. caus. 17. quæst. 4. in Concilio Lateranensi Innocentii II. adversus percussores Clericorum. Immo & temporibus Innocentii III. inventi fuerunt Ecclesiarum Patroni, Advocati, seu vicedomini, qui Clericos in beneficiis institutos mutilarent, atque occiderent, uti refertur in cap. 12. de pœnis. Tertio cum laici nossent, in Episcopalibus judiciis se non audiri, si Clericos ac-

cusarent, Episcopalia iudicia declinabant, & coram publicis Magistratibus Clericos accusabant, gnari apud publicos Magistratus nullam habitum iri rationem Pseudodecretalium Isidorianarum, cap. 17. de iudiciis. Interea duodecimo sæculo viri Ecclesiastici non audebant ab Isidoriana disciplina recedere, vel quod jamdiu in foro recepta fuerat, vel quod multi sibi persuadebant, non supposititias, sed genuinas esse decretales epistolas a Mercatore evulgatas; atque inter cæteros Alexander III. in rescriptis suis respondit, non esse laicos ad accusandos Clericos admittendos, cap. 14. de testibus, cap. 10. de accusationibus, quamquam idem quædam exceptiones adversus generalem regulam admitterentur. Primum Innocentius III. Isidorianam disciplinam relaxandam duxit in cap. 17. de iudiciis, ne distraherentur iudicia Clericorum, & a foro ecclesiastico ad fora publica deducerentur, ita rescribens: *Præcipiatis ex parte nostra Prælati, ut laicis de Clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi... ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur a laicis ad iudicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus.* Ac tandem duce Innocentio III. relaxari adeo cœpit Isidori disciplina, ut multæ exceptiones inducerentur, & fere tot, quot sufficerent ad restituendam veterem disciplinam, & Isidori traditiones fere abolendas. Hinc primum vulgare fuit dicere, quod etiam ante Innocentium III. tradebatur, posse laicos adversus Clericos instituere accusationem, si laici suam, aut suorum injuriam persequerentur, canone 2. caus. 4. quæst. 6., dicto cap. 14. de testibus; secundo eam facultatem fieri laicis in crimine hæreseos, can. 8., & 13. caus. 2. quæst. 7., tertio in crimine læsæ majestatis, can. 4. caus. 15. quæst. 3.; quarto exceperunt crimen sacrilegii, recepta Gratiani doctrina tradita in vers. *Qui autem* post canonem 29. caus. 17. quæst. 4., quinto adjecerunt crimen simoniæ, ar-

gumento capituli 7. de simonia; sexto fundatoribus, vel fundatorum hæredibus concessa fuit facultas accusandi Clericos, aut Prælatos impositis foundationum legibus non satisficientes, canone 60. caus. 16. quæst. 1., can. 32., & 34. caus. 16. quæst. 7.; septimo denique traditum est, potuisse a quocumque Clericos accusari de crimine notorio, ex quo Clerici ipso jure infamiam contraxissent, argumento capituli 24. in fine de appellationibus, & l. 1. cod. de quæstionibus.

An e contrario Clerici admittantur ad laicos accusandos, vix disputari posse videtur, cum aperta sint canonum monumenta. Distinguere oportet, an in ecclesiastico, an in publico civili foro sit instituenda accusatio. In foro ecclesiastico, ubi pœnæ, aut censuræ ecclesiasticæ reorum coercendorum causa infliguntur, nullibi prohibetur Clericis, ne laicos accusent, immo & id expresse permittitur, can. 7. caus. 2. quæst. 7., can. 1. 2. 3. caus. 6. quæst. 2.. Neque in contrarium adferri potest aut canon 6. caus. 2. quæst. 7., aut canon 9. caus. 11. quæst. 1., præterquamquod enim hæc monumenta sunt Mercatoris, liquet, in dicto canone 9. non agi de iudiciis ecclesiasticis, sed de iudiciis publicis laicorum; in dicto autem canone 6. præcipuus scopus auctoris erat demonstrare, non esse admittendos laicos ad accusationem Clericorum, ex eo quod Clerici non admitterentur ad laicos accusandos: quasi ita diceretur: ante laicos Magistratus non licet Clerico laicum accusare; ergo e converso ante Episcopos non licebit laico Clericum accusare. De vi hujus argumentationis non est, quod quæram. Sufficit indicavisse Mercatoris voluntatem, ut qualis ejusdem sententia fuerit, colligatur. Quod si agatur de publico civili foro, cum ab hoc vacare Clerici jubeantur, nec pro alio postulare sinantur etiam in causis civilibus, nisi suam, aut suorum, aut Ec-

clesiæ causam agant, cap. 1. 2., & 3. de postulando, potiore jure removen- tur in criminalibus negotiis vice reipu- blicæ sustinere personam accusatoris, ne a lenitate Clericali deflectant; cum sem- per consueverint Clerici pro reis crimi- num apud Magistratus intercedere po- tius, quam de sumenda vindicta solli- citudinem gerere, can. 30. caus. 23. quæst. 8.. Exceptio tamen est, quum Clericus vellet aut suam, aut Ecclesiæ injuriam persequi, & periculum, quod ex aliena pravitate aut sibi, aut Eccle- siæ imminet, evadere querela apud Ju- dicem proposita, cap. 8. de foro com- pet., dummodo tamen protestetur, se pœnam sanguinis non intendere, quid- quid deinde Judex ex officio suo sit pronuntiaturus, uti saluberrime caven- dum voluit Bonifacius VIII. in cap. 2. de homicid. in 6..

Quando vero superius dictum est, accusationem non aliter fieri consuevis- se, quam interveniente legitima accu- satoris inscriptione, colligitur, absentes per literas, aut per procuratores ac- cusare non potuisse, can. 5. caus. 2. quæst. 8., can. 1., & seq. caus. 3. quæst. 9., cap. 15., & 16. de accusa- tion., cap. 31. de simonia, nisi tamen ageretur de criminibus, uti vocant Pragmatici, mixtis, qualia sunt, in qui- bus & publica, & privata vindicta ver- satur, quemadmodum est crimen adul- terii, ubi vir, aut uxor accusent, cap. 5. de procurator., & crimen abigeatur, l. un. cod. de abigeis, aut nisi agere- tur de criminibus levioribus, argumen- to l. 6. ff. de accusation., juncta l. 9. §. 3. ff. de offic. Procons.. Multa alia non memoro ad Romani juris discipli- nam pertinentia, quæ commodius tra- denda relinquo civilium legum Inter- pretibus.


Hæc, quæ ex vetere judiciorum disciplina vigeabant, hodie fere exole- verunt, quoniam tres tantum posterio- res supersunt modi deferendi in judi- cium crimina, denuntiatio, exceptio,

& inquisitio. Denuntiatio est simplex delatio criminis sine inscriptione, cap. 16. de accusation., unde fit, ut competens Judex ex officio in crimen inquirat, quin denuntiator vices actoris sustinere cogatur. Et quidem denuntiatione fac- ta, ex arbitrio prudentis judicis pen- debit, an ad inquisitionem proceden- dum sit, an minus, quod facile erit augurari, seu ex qualitate denuntiantis, seu ex qualitate illius, contra quem denuntiatum fuerit; & cum inquisitio- ni locus fiet, actoris vices geret ex officio, qui vulgo a Pragmaticis Pro- motor Fiscalis appellatur, seu Procu- rator, seu Advocatus Fisci, derivato nomine a veteribus Advocatis Fisci, quorum mentio fit in l. 5. §. 13. ff. de his, quæ ut indignis, l. 8. cod. de advocatis diversorum Judicum, & in l. 8. cod. de advocatis diversorum ju- dicialium. Si denuntiatio cum accusa- tione conferatur, adparet statim, utram- que in paucis congruere, in pluribus distare. In eo uno utraque congruit, quod quemadmodum personæ infames, & extra Ecclesiæ communionem sitæ, aut ejectæ, immo & quæcumque de ca- lumnia evidenter redargui possunt, aut etiam gravi calumniæ suspitione notan- tur, ab accusando repelluntur, ita re- pellantur quoque a denuntiando, cap. 19., & 20. de accusation.. Quod tamen de infamibus, & excommunicatis dictum est, exceptionem habet in gravissimis quibusdam facinoribus, quorum res- pectu publica utilitas denuntiationum leges paulo relaxandas suasit, ut illa facilius detegerentur ad avertenda gra- via in Christianam rempublicam emer- gentia pericula; quoties nimirum id spe- ciali lege statutum est, uti contingit in crimine hæreseos, can. 26. caus. 2. quæst. 7., & in crimine simoniæ, cap. 3. 7. 31. de simonia. Distat utra- que in eo primum, quod licet accusa- tor teneatur nomen inscribere, & acto- ris loco causam instituere, & persequi usque ad sententiæ pronuntiationem,

denuntiator tamen denuntiatione facta ab omni hujusmodi obligatione sit immunis, cum denuntiationem excipiat inquisitio, in qua ex officio vices actoris gerit Promotor Fiscalis. Tantum exceptio est respectu ejus, qui non ex officio denuntiat; nam postulante reo debet monumentum suæ denuntiationis scripto nomine in curia saltem clam, & in occulto exhibere eatenus, quatenus rei absolute secuta extra ordinem puniatur, si adparuerit, per calumniam denunciavisse, argumento cap. 1. de calumniator., nisi crimen opponatur non causa inferendæ pœnæ, sed ne quis ad sacra officia promoveatur, cap. 16. de accusat.. Distat secundo in eo, quod accusator quomodocumque suspectus removendus sit ab accusando; non tamen removeatur a denunciando, qui non gravissime suspectus sit: siquidem etiam si des mihi denuntiatorem valde quidem, sed non omnino suspectum, adhuc recipi poterit denuntiatio, ita tamen, ut Judex exinde examinet rerum, & personarum, cæteraque hujus generis adjuncta, quibus pensatis ad iudicium inquisitionis progrediatur, non ut statim inquisitionem incipiat. Distat tertio in eo, quod finis præcipuus accusationis est publica vindicta, seu pœnæ illatio; finis autem denuntiationis potius est emendatio rei, atque correctio, cap. 16. de accusation.. Quamobrem erit in hac parte observandum Evangelicum fraternæ correctionis mandatum, de quo apud Matthæum cap. 18., & apud Lucam cap. 17., juxta quod, si spes emendationis sit, privatim primum monendus erit reus, & tum demum, nisi resipiscat, deferendus, cap. 20. de accusat., cap. 31. de simonia, nisi tanta sit, & adeo urgens Ecclesiæ necessitas, & utilitas, ut denuntiatio in longius tempus differatur. Distat denique in eo, quod accusare unicuique licet, nemo fere tenetur; denunciare autem semper licet, sed aliquando quisque conscius etiam debet, quotiescumque quis aut generali lege, aut

singulari præcepto, seu edicto publico admonetur, & obligatur. Generali lege præceptum est, ut denuntietur crimen simoniæ, extrav. 2. in fine de simonia; item crimen hæreseos ex constitutione *Noverit* 10. Innocentii IV. in Bullario, ac denique crimen sollicitationis juxta constitutionem famigeratam Gregorii XV. die 30. Augusti anni 1622.. Hanc ad rem adnotanda est regula a S. Thoma præstituta in 2. 2. quæst. 35. art. 7. in corpore scribentis, in criminibus etiam occultis fraternam correctionem judiciali denuntiationi minime præmittendam, quinimmo illa confestim iudici deferenda esse, quoties ejus generis sint, ut etiam in occulto ad spiritualem proximorum perniciem tendant. Singulari præcepto, aut edicto publico quis ad denuntiandum obligatur, quando fiunt in Ecclesia proclamationes, aut causa matrimonii, aut causa suscipiendorum ordinum, aut causa rerum furto subreptarum, quas postremas *monitoria* nostri appellant, de quibus inferius sermo habebitur, argumento capituli 3. de clandest. desponsat., canonis 11. dist. 61., & capituli 4. de furtis.

Exceptio est oppositio quædam aut similis, aut alterius criminis a reo facta adversus accusatorem, aut testem, ut eum ab accusando, vel testimonium ferendo repellat. Id contingere solet, quum ex. gr. maritus uxorem de adulterio accusat ad finem divortii, & uxor e contratio allegat, maritum pari fuisse crimine inquinatum, cap. 6., & 7. de adulteriis. Hinc liquet, finem exceptionis non illum esse, ut ab eo, contra quem excipitur, publica vindicta sumatur, sed ut ne contra accusatum quidquam agere valeat: quamobrem etiam si crimen ab excipiente probetur, non erit ad ordinariam criminis pœnam inferendam deveniendum; sed tantum cohibebitur reus criminis, ne susceptam controversiam prosequatur, cap. 2. in fine de ordine cognitionum, cap. 1. de exception.. Ad hanc rem jure opti-





mo rescripsit Innocentius III. in cap. 23. de accusation., non esse ab jure beneficii quæstio repellendum eum, adversus quem non instituta criminis accusatio fuisset, sed crimen in modum tantum exceptionis oppositum.

Denique inquisitione crimina in judicium deferuntur, quum Judex ex officio nemine accusante, vel denuntiante, in reum criminis quæstionem facit, & jurisdictionem suam exercet. Duplex autem est inquisitio, nimirum generalis, & singularis. Generalem inquisitionem appellant nostri, quam faciunt Ecclesiarum Prælati statutis temporibus, seu diocesim visitando, seu Synodum celebrando, palam investigantes, immo & populum, clerumve interrogantes de admissis criminibus, & de reis, quos puniant, aut certa ratione coerceant, can. 11. caus. 10. quæst. 1., cap. 25. de accusation., cap. 29. de præbend., cap. 13. vers. *Adjicimus* de hæreticis, cap. 1., & 13. de offic. jud. ordinar.. Et quidem invicem cohærent duo illa Antistitum officia, primum visitandi Ecclesias, alterum celebrandi Synodum, & dum utroque funguntur, rite, recteque modo in visitatione singulis consulunt, modo in Synodo Ecclesiarum universitati prospiciunt, quod utilissime fit in crimina, & reos criminum inquirendo, atque animadvertendo. Quum vero olim singulis saltem annis & visitatio fieret, & Synodus celebraretur, singulis quoque annis generalis inquisitio fiebat. Atque antiquissimis sæculis res hæc universa in prudentiam Antistitis conferebatur, nulla certa præstituta inquirendi formula. At deinde ad magis, magisque excitandum Antistitum officium operæ pretium duxere nonnulli canonum Collectores certam formulam describere, quam Antistites aut visitando, aut Synodum habendo sequerentur. Non memoro canonem 7. caus. 35. quæst. 6., in quo inquisitionis in Synodo habendæ mentio fit, etenim perperam hic adscriptus fuit Eutychno Papæ, quando ad promptus

erat ex collectionibus canonum longe recentioribus. Primum, quod ego novi, adparet certa inquisitionis generalis formula apud Regionem Prumiensem nonni sæculi Collectorem, qui eam exhibet initio libri 1. de ecclesiasticis disciplinis, in quinque supra nonaginta capita distributa, ex qua liquet, duplicem fuisse ejus inquisitionis finem, nimirum imprimis, ut Clerici, & laici, de quorum moribus idemidem inquirebatur, in officio continerentur; deinde ut rei, si qui reperirentur, pœnam luerent. Placuit passim Regionis industria, quem propterea multi imitati sunt, similes formulas describentes adjuvandorum Antistitum gratia. Unde & sæculo undecimo Burchardus Wormaciensis parem formulam descripsit initio sui Decreti distributam in 67. capita; nec defuerunt, qui similem etiam ederent, & Leoni IV. Pontifici Maximo adscriberent. Cæterum a sæculo undecimo dici potest, disciplinam hujus generalis inquisitionis fuisse in tota fere Occidentali Ecclesia receptam. Specialis, seu singularis inquisitio dicitur, cum Prælatus ex officio in certum crimen admissum, vel in certam personam delinquentem inquirat, vel post alicujus denuntiationem, vel post inquisitionem generalem factam indicato reo, vel ex fama, seu rumore publico ferente, aliquem gravis criminis reum extitisse, qua in specie nemo non videt, Procuratorem, ut vocant, Fiscalem, vice fungi accusatoris, juxta ea, quæ modo observabam, can. 6. caus. 2. quæst. 5., cap. 22. de sentent., & re judic., cap. 1. in fine de officio Custodis, cap. un. vers. *Sane* de censib. in 6.. Adeo autem verum est, publicam famam inquisitionis judicio causam dare, ut licet duo, vel tres, vel etiam plures testes dixerint aliquem diffamatum, non inde tamen locus inquisitioni fiat, nisi aliquid sinistri de reo in publico audiatur, cap. 19. 21. §. ult., & cap. 24. de accusation., quamquam in ea specie locus fiat indicendæ pugnationi se-

cundum arbitrium iudicantis. Hodie hæc inquisitio ex generali consuetudine facta est ordinaria, cum olim extra ordinem fieret in subsidium accusationis, id est, cum accusator deficeret, ita ut accusatore accedente inquisitio irritaretur, argumento capituli 19. de accusatione. In hoc ipso inquisitionis iudicio observandum est, fieri locum pœnæ ordinariæ per iudicem infligendæ in reum, quoties tale crimen admissum proponatur, quod suscepti ordinis executionem, aut retentionem beneficii etiam post peractam pœnitentiam impediret; alioquin universa ex iudicantis arbitrio, & humanitate pœnam moderaturi pendere. Perspicue id definitum fuit ab Innocentio III. in cap. 21. de accusationibus. Quæsitum fuerat, an ecclesiasticus iudex inquisitione suscepta, probatoque in iudicio crimine, pœnam a canonibus indictam moderari ex æquitate valeret. Distinguendum voluit Innocentius, & ait, ubi tale sit crimen, quod ipso iure executionem suscepti ordinis, ac beneficii retentionem perpetuo impediret, quemadmodum contingit in crimine homicidii, aut simoniæ, non esse in potestate Episcopi moderari pœnam: ubi enim pœna ipso iure inflictæ est, & reus statim ac crimen admisit, in pœnam incidit potestate legis, lex ipsa quodcumque officium iudicis prævenit, ac sententia iudicis tantum declaratoria est, id est, indicans, quam reus ex lege pœnam incurrit. Notari debet Innocentii formula, dum ait, *hoc casu erit, sicut in accusationis iudicio procedendum.* Supponit enim, in iudicio accusationis iudicis officium esse omnino ad summos juris apices exigendum, ita ut iudex pœnam nequeat moderari, sine ullo delictorum discrimine, sed debeat in universis criminibus eam pœnam infligere,

quæ lege decernitur. Contra tamen respondit esse observandum in iudicio inquisitionis, quoties talis pœna ab iure præstituitur, quæ nec ordinis suscepti executionem, nec retentionem beneficii perpetuo impediret, in his enim causis inquit, discretioni iudicantis, si pœnam moderari voluerit, nonnihil esse indulgendum. Si causam quæras, quare in iudicio accusationis rigidius, in iudicio inquisitionis mitius agatur, ego dicam, in iudicio accusationis non tam æquitatem, quam æquabilitatem esse servandam; & quando accusator, si in probatione deficeret, talione puniebatur, seu plecti poterat ea pœna, quam in reum inferendam dicebat, minime decuit, reum convictum mitius plecti; ne rei gravis criminis melior causa videretur, quam accusatoris ad tuendam rempublicam periculo suo conantis. At in iudicio inquisitionis, cum deficiat accusator, qui suo periculo crimen objiciat, nulla est ratio, ex qua æquitas, & prudentia rerum, & pœnarum moderatrix locum habere nequeat. Quod si adhuc urgeas, usu venire in iudicio inquisitionis, ut sint in eo denunciatores causam iudicio dantes etiam puniendi, si per calumniam ad denunciandum accedant; reponam ego, imprimis non semper denunciatores puniri, sed tum demum, cum de calumnia constet. Quid enim, si reus absolvatur ex eo tantum, quod liquidæ non fuerint criminis probationes? Accusator in hac specie olim puniebatur: punitos denunciatores minime legimus. Deinde pœna denuntiantium calumniatorum ex arbitrio iudicis plurimum pendet. Ergo etiam pendere ex iudicis arbitrio poterit pœna reorum, ubi iudicium ab inquisitione cœperit, utut inquisitionem denuntiatio præcesserit, quin iudicis æquabilitas dissolvatur.